

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus LXVIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

A Quod autem adiectum est, In terra: cœlestia nō excludit, sed impietati eorum occurrit, qui putant Deum non curare terrena, ē quorum numero & illi sunt hodie, qui illud falso citant: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Quid autem consolationis nō adferet miseris mortalibus, si certò credant Deum non cœlestia solum, sed & terrena sua providentia curare: & suos non in futura tantum, sed & in præsenti hac uita tueri ac moderari? Potest etiam illud כְּאֶרֶץ, In terra, exponi de terra uniuersa: ut intelligamus providētiam Dei uniuersalem, qua cunctos totius terræ populos regit & gubernat, commendari. Et etiam hoc sensu asseritur ueri Dei gloria, & falsorum deorum excluditur.

Terra det fructum suum.) Kimhi Ebr. in futuro legit, & intelligit suo more, de Iudæorum libe-
ratione, cuius tempore consumptis omnibus impijs, putat terram ubiq; frugiferam fore. Non
negamus terræ fertilitatem donum esse Dei, sed sentimus de alia terræ fecunditate loqui spi-
ritum Dei. Per terram intelligit terræ habitatores. illi suos fructus dant, quando Deum agno-
scunt, colunt, prædicant & laudant. Credibile autem est, per terram intelligi habitatores ter-
ræ Cœnaan, populum Israelem, cuius fructus est studium pietatis, cultus ac laus Dei. Hanc sen-
tentiam innuere videntur, quæ subiunguntur, cum dicunt: Benedicat nobis Deus, Deus no-
ster: benedicat nobis Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Siquidem benedici idem est,
atq; fecundum reddi. & quid terram uocent, ostendunt, cum dicunt, Nobis.

Apparet enim ista eodem affectu dici quo Psalm. cœptus est. Q. d. Deo deus, ut terra ista populi tui fructus pietatis adferat, benedicat nobis deus noster, ut nostro exemplo incipiât Deo colere omnes fines terræ. Verbum enim **יְיָ** in scripturis, sæpenumero pro cultu & obseruantia dei accipitur. Ardentis animi affectum exprimit ista ingeminatio, qua non solum benedictionis dictionem, sed & dei repetunt. Et summam suauitatem fidelis animi, & in deo suo gloriantis habet, quod dicunt, Deus noster.

Nota quomodo gaudium in deo & metum dei coniungat. Gaudio excluditur diffidentiae
moestitia & anxietas: metu uero, contemptus & falsa securitas. Sic Psalm. 2. Seruite domino in
timore, & exultate ei cum tremore.

Epilogus.
Eſtigitur palmas iſte nobis, qui ex gentibus populo dei acceſſimus, diligēter uerſandus: cum quod omnes gentes ad ueri dei, abiectis idolis, cognitionem uocat: tum quod ueræ pietatis ſummā adeo luculenter tradit, docens primū unde cognitio dei oriatur, & quæ illa ſit, deinde quid illa pariat, laudē uidelicet dei, gaudium & exultationem ſpiritus in deo, & cultū dei. Cultus autem dei talis hic ponitur, qui ſit & metus dei: nō qualis eſt hypocritarum, qui ex terna ſpecie ceremoniarum, uestibus, cantilenis ac geſtibus deum nō colunt, ſed colere ſe fingunt ac mentiuntur, id quod ipſorum reliqua uita declarat. Qui namq; deum uerē colit, uolū- tatis ſimul illius obſeruans eſt: & quoniam illum more filij metuit, à malo abſtinet.

PSALMVS LXVIII.

Ad præcinendum Davidis, Pfalmus Cantici.

Xurgat Deus, dispergantur inimici eius: & fugiant oſores eius à facie eius.

Sicut dispellitur fumus, dispellas: sicut liquefit cera à facie ignis, a
sic pereant impij à facie Dei.

Et iusti latentur, exultent coram Deo, tripudiant præ gaudio. 3

Cāte Deo, pfallite nomini eius, iter facite ei, qui nubibus inequitat, in lah 4
nomen eius, & exultate coram eo.

Qui pater est orphanorũ, & iudex uiduarũ, Deus in habitaculo sacrarij sui.

Deus qui solitarios cum familia habitare facit, qui uinctos compedibus edu-
cit, ueruntamen rebelles in terra arenti iacent.

Qui nubibus inequitat.) Ebr. לִירֹכֵב עֲרִיבֹת. Græc. & Vulgata latina, Qui ascendit super occasum. Hieron. Ascendenti per deserta. Iustin. Equitantes in cœlis. Pagnin. Qui ascendit super cœlos. Felix, Infidenti Haraboth. Symmachus: Sternite uia ei qui inequitat in terra inhabitabili. Camp. Extollite illum qui pro uehiculo utitur nubibus.

Qui pater est orpha.) Græc. & Vulg. lat. Turbabuntur à facie eius patris orphanorum.

Deus qui solitarios cum familia hab. facit.) Ebr. אלהים מושיב יחידים בביתם. Græc. & Vulg. latina. Deus qui inhabitare facit unius moris in domo. Hiero. Deus inhabitare facit solitarios in domo. Felix: Deus habitare faciens unicos domum. Camp. Deus facit ut qui paulo antè fuerât soli sine liberis, nunc habeant domum familia plenissimam. Illud, Veruntamen rebelles, &c. Græc. & Vulg. latina, sic legunt, Similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris. Hieron. Increduli autem habitauerunt in siccitatibus.

R 4

Argu.

In terra:
Psal. 113.

Ver. 5. ൫ 6.

Epilogus.

LECTIO.
Ver. 4.

Ver. 5.
Ver. 6.

Argumentum Psalmi.

Ex hoc Psalmo Apostolus testimonium citauit Ephes. 4. nempe uersum 18. Hinc occasio sumpta est referendi illum ad regnum Christi, nec prater rationem. Quis enim piorum non uidet in regno Davidis, ad quod Psalmi historia pertinet, typum fuisse regni Christi? Iste ante omnia declarandus est, nisi ridiculum uelimus illo neglecto confestim ad regni Christi irruere mysteria. Ad quam autem historiam gestorum Davidis pertineat hic Psalmus, non planè constat. Ebraeorum quidam exponunt de percussione Sancherib, ante Ierusalem diuinitus per angelum tempore Ezechie facta. At titulus meminit Davidis. Quidam ex nostris referunt ad ultimam uictoriam Davidis, qua Ammonitas, Moabitas, Syros, Idumæos & Philistæos ita attriuit, ut tributa pendere coacti sint. Huius sententiæ occasionem sumpsit ex uersu 30. in quo tributorum fit mentio. Nemini uolo præiudicare, sed simpliciter quid mihi uideatur aperire. Totus Psalmi contextus, maxime illius initium, uidetur epinicion quoddam gratulatorium referre, quod decantatum sit ante arcam Dei, cum illa magna totius Israelis celebritate & exultatione Ierosolymam per Dauidem duceretur, quæ historia 2. Sam. 6. Et 1. Paral. 15. legitur. Non uideo historiam aliam, cui commodius possit hic psalmus adaptari, quocirca ad illam respiciam, donec concinnius aliquid didicero.

- Ver. 1.** Exurgat Deus.) Numerorum 10. scribitur, quod cum arca Dei à Leuitis ad proficiscendum leuaretur, Moyses dixerit: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, fugiant qui oderunt te à facie tua. Quæ uerba in Ebræo planè cum isto primo uersu concordant: nisi quod illic est apostrophe ad Deum: & ubi hic מִלְּפָנֶיךָ habetur, illic מִלְּפָנֶיךָ legitur. Consulto itaq; Propheta & magna fide initium huic Psalmo, quem pro populi confortatione ante arcam decantari uolebat, Mosi uerba esse uoluit, ut admoneret quosuis rerum olim cum ex Aegypto duceretur Israel gestarum: & ut ad memoriam reuocaret, quid in arca ista populo suo pollicitus sit Deus, & quanta fide erga illam & reuerentia Moses, diuinæ promissionis gratia fuerit. Nec frustra id facit. Manserat enim iam ultra 60 annos ab eo tempore, quo sub Heli intercepta fuerat à Philisteis, & Israeli paulo post reddita, in Kiriathiarim neglecta. Nullam enim illius interea rationem habuerant, nec antè, nec in toto regno Saulis, de quo meminit ipse Dauid 1. Paralip. 13. cum statueret eam in ciuitatem Ierusalem reducere. Tantum scilicet mali est, si regnet homo impius & hypocrita. Non est autem putandum, quod arcam illam ex lignis structam loco Dei habuerint, coluerint, & inuocauerint Moses & Dauid, aut fiduciam in illius præsentiam collocauerint. Nam id idololatriæ confine fuisset. Omnis illorum fides uerbo diuinæ promissionis nitebatur. Sciebant alioqui Deum, ne cælo quidem, nedum arca illa comprehendendi posse. Verum quoniam in ea arca erat uerbum diuinæ promissionis, illius gratia ita loquebantur, dicentes, Deum surgere, cum leuaretur arca: redire ad exercitum Israelis, cum duceretur arca: & transire per desertum, cum transiret arca. Dauid percutiebat in organo, & saltabat totis uiribus ante Dominum, id est arcam. Item, Michol uidit Dauidem, cum intraret arca Domini ciuitatem, subsilientem atq; saltantem coram Domino. Item, Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, &c. Hic certè absq; ulla cōtradictione arca uocatur Dominus. Assuescamus & nos hoc pacto externis uti rerum diuinarum symbolis, quæ propter uerbum Dei sacramenta uocamus. Augustè de illis sentiamus & loquamur, sed secundū uerbum, quod illis est diuinitus annexum. Vocemus baptismum, lauacrum regenerationis, propter uerbum Christi Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu: & ablutionem peccatorum, propter uerbum spiritus sancti ad Paulum, Surge & ablue peccata tua. Et panem Domini, uocemus corpus Domini: & uinum, sanguinem Domini, propter uerbum Christi, Hoc est corpus meū, hic calix est sanguis meus: & communicationem illorum, communicationem corporis & sanguinis Christi, propter uerba spiritus sancti ex ore Apostoli 1. Corinth. 10. Simul tamen abiecta omni superstitione, ut nemo impietatis damnatus est, qui arcam uocauit arcam, licet toties Domini ac Dei nomine appellata sit à Mose, Dauid, & alijs pijs: ita & hic nemini sit illicitum, aquam baptismatis uocare aquam, ut & à Christo Ioann. 3. & ab apostolo Petro Acto. 10. uocata est: & panem cœnæ, Domini panem: & uinum, uinum: quemadmodum de illis loquutus est Paulus 1. Corinth. 11. modò id fiat citra contemptum, & non negetur sacramentorum istorum mysterium ac ueritas.
- 1. Paral. 15.**
- Tit. 3.**
- Act. 9.**
- Matth. 26.**

Dispergantur inimici eius.) Verbum hoc magnæ fiduciæ est, & aptum temporibus illis, quibus pijsimo regi bellum erat cum impijs gentibus. fidem enim facere cupit Israeli, ante faciem Dei non perstituros esse impios Deum pollicitum esse suam præsentiam in hac arca ad tutandum populum suum: idq; præstitisse olim sub Mose & Iehosua, & nunc quoq; præstiturum. Et huius gratia quidam ista in futuro legunt, Dispergantur ac fugient, &c. Isti fidei seruiunt & hoc, quod Israelis hostes uocat inimicos & ofores Dei. Et merito. Omne enim illorum odium aduersus Israelem ex eo erat, quod deos ipsorum contemnebat: & ab eo pendeat, quem ipsi ignorabant. Quasi igitur apertum indicium eius, quod Deus surgeret ad uindictam

A etiam de hostibus suis sumendam, arcæ huius trāslationem interpretatur populo dei rex pius ac spiritu dei plenus. quod & res ipsa satis luculenter declarauit.

Sicut dissipatur fumus.) Per similitudinē fumi ac uenti, deinde ceræ & ignis, confert impiorū inanitatem diuinæ potentiae & indignationi: ut admoneat, quā nullo negotio fieri possit quod uersu primo cecinit. Et mirum in modum in rebus istis creatis ob oculos ponit, quā sit indignantis dei potentia impijs intolerabilis, dum illam uento grassanti, & igni ardenti, istos uerō inani fumo & molli ceræ comparat. Si namq; creatura ante faciē creaturæ subsistere nō potest, quomodo creatura faciem creatoris indignantis ferre poterit?

Ergo omnis impiorū uis & potentia, siue rerum copia, siue instructione bellica, seu multitudine constet, in oculis fidei monstrantē spiritu dei, nihil aliud est renitente deo, quā inanis fumus & molliuscula cera ante uentū & ignem: renitente inquam deo, & ad uindictam exurgente. Nam alioqui ubi opera illorū Deus ad castigandum populum suum uti decreuit, ibi certē nec cera, nec inanis fumus, sed grauis quædam uirga est. id quod Israelitę in istis ipsis gentib. de quibus hic Propheta loquitur, sæpenumero, teste Iudicum libro, experti sunt.

Et iusti letentur.) Memor quid acciderit tēporib. Heli, ubi carnales Israelitæ absq; ullo pietatis studio, præposterā fiduciam in arcæ præsentiam collocantes, à Philistæis graui plaga cæsi arcā dei amiserant: admonet, ea quæ commemorare cœpit, nō ad peccatores, & carnales Israelitas, sed ad iustos pertinere. Lætabantur & olim Israelitæ, & mirū in modū tripudiabant, allata in castra arca: uerū quoniam non placebant domino, eo quod polluti essent per eidolo-

latriam, & tempus erat ut castigarentur, nihil illis proderat arcæ præsentia, sed magis oberat. Admonemur hoc loco erroris eorum qui tradunt, ad placandum deum satis esse, si opere externo exercentur fidei sacramenta, etiam si id fiat ab illis qui domino placere non possunt. Certē arca ista erat iussu dei fabricata, & ad hoc populo Israeli data, ut de præsentia & ope dei securus esset: atq; ob eam rationem adiuncta erat diuinę præsentię & protectionis promissio. Quia factum est ergo, quod 1. Sam. 4. cum Israelitę bello Philistinorum semel perculsi essent, arcæ illis præsentia contra inimicos tam non profuit, ut magis etiam nocuerit: id uidelicet in causa erat: Mali erant & sacerdotes filij Heli, & populus impietate corruptus. Deinde id mali addebant, quod sacris quoq; rebus, nō ad malorum, sed piorum consolationem datis, abutebantur. Quid igitur hodie faciunt sacrifici nostri cum suis missis, quib. deum placare se simulant? Vbi propter scelestam uitam reprehenduntur, mox regerunt, nō referre quales ipsi sint, missas suas esse ex opere operato, ut loquuntur, bonas & deo gratas. Quod si quis det bonas esse, quis non uidet illos nec sic quidem, cum sint prorsus carnales & polluti, quicquam apud deum efficere: imō magis etiam iram dei prouocare? Quid iam non timendum est, cum non

B solum ipsi & populus deploratē mali sint, sed & cultus, quo deum placari tradunt, & orbem quotidie dementant, ipsissimam habeat idololatriam: bellē scilicet deum placāt. Interea dū illi missas suas nusquam non applicant, ira dei pāssim grassatur, & res Christianorum iā olim misere afflicta, extrema periclitantur.

TYPVS CHRISTI.

Quod iuxta umbrā in regno Dauidis delineatū est, plenius ac uerius in regno Christi perfectum est, & adhuc perficietur. Tū deus uerē surrexit, & ante faciem eius omnis impietas, uelut ante faciem uenti fumus quidam dispulsa est: ubi Christus uera arca, & propitiatoriū in quo diuinitas non umbraticē, sed corporaliter habitat, & præsentiam suam exhibuit: primū in manum hostiū traditus, & ludibrio turpissimę mortis affectus, post excitatus à mortuis uirtute spiritus, & ardore ignis, quem in terram mittere uenerat, omnē latē ante faciem suam impietatis fumum fugauit ac dispulit, & uelut ceram liquefecit. id quod ministerio uerbi sui in toto orbe exequutus est, personaliter uerō in fine mundi omnium plenissimē perficiet.

Cantate Deo, psallite nomini eius.) Apostrophe est ad populum dei, populum iustum & sanctū, quem uersu præcedenti lætari, exultare, & coram deo tripudiare iussit, hunc consequenter ad canendum deo adhortatur. Rem autem eandem nō frustra bis dicit. Idem quidem est, deo cantare, & nomini eius psallere: uerū ita, ut prius per posterius exponatur. Postquā enim dixit, Cantate deo, exponēs quid uocet cantare deo, subiicit, Psallite nomini eius. Est nāq; deo cantare nihil aliud, quā nomini eius psallere, id est, laudes illi concinere. Nam secundū opem eius, est nomen eius: & secundum nomen eius, laus eius.

Non frustra est, quod Propheta populum admonet, ut deo canat. Neque enim simpliciter exigit ut cantet, sed ut deo cantet. Ergo curandum est pijs ut deo cantent. Reperias qui cantent quidem, sed uerius uentri, uel mammonæ, uel turpi ocio, quā deo. Deo canere piorum est, non uentriculorum & carnalium hominum. Et Apostolus iubet, ut domino cantemus & psallamus. Colof. 3. Seruit igitur hic locus istis qui domino canere cupiunt. Nam primū admonet, unde sit canendi deo affectus, ubi gaudium & lætitiā in domino uersu proximo præmittit. Ergo quibus nullum est in domino cordis gaudium, illi certē deo canere nequeunt. Gaudium autem cordis nascitur ex bonitatis dei sensu & gustu, qui per fidei

est. Deia-

Ver. 2.

Ver. 3.

Vide 1. Sā. 4.

Sic 1. Sam. 7.

Abijcite deos alienos, quos habetis in meo dio uestri.

Ver. 4.

Differētia quā Aug. hoc loco inter cantare Deo, & nomini eius psallere ab alijs inuentum, sibi quoq; alicubi usurpatam dicit, non multum habet rationis. Obser. de ratione Deo cantandi.

est. Deinde docet nos, quomodo Deo cantare debeamus: ita uidelicet, ut nomini eius psalla-
mus, id est, laudes mirabilium eius extollamus.

Iter facite ei.) Hoc est, honorifice excipite & deducite eum. Intelligit autem iuxta literam ar-
cam Dei, spiritus uero sensu respicit ad preparationem cordium, ut mentes Deo pareretur. Hac
figura usus est & Esaias cap. 40. & Ioan. baptista, Matthæi 3. Vox clamantis in deserto, parate
uiam Domino, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. omnis uallis exaltetur, & omnis
mons & collis humilietur: & fiant distorta in recta, & aspera in uias planas. Similitudo sum-
pta est à consuetudine excipiendi reges, quando ditiones suas primum ingrediuntur & in-
uisunt, ubi uia adornantur publico gaudio & honorifice sternuntur, quæque incmoda sunt,
amouentur. Et merito populus Dei admonetur, ut cum honore Deum suum excipiat, in quo
uno omnis salus excipitur: qui non ut tyrannus, sed ut uerus pater suos inuisit. Optima uero
cordium præparatio, est desiderium gratiæ Dei, fides solida, & uera respicientia. Duo habet
itineris adornatio: unum, ut offensacula amoueantur: alterum, ut quæ grata & iucunda sunt
regi, obijciantur. Ita & hic faciendum.

In nubibus.
Salmoncus rex
tonitruum fictor.
Meminit huius
Nazîazenus in
secunda oratiõe
aduersus Iulia-
num apostatã.

Qui ascendit per desertum.) Particula hæc trifariam legitur. Ebr. est לָרֶכֶב בְּעֶרְבָה. Quoniam ue-
rò עֶרְבָה *erba* est, fit ut huius dictionis gratia locus hic uariè legatur. Quidã legunt, Qui
nubibus inequitat. Et hic sensus tempestatibus cœli competit, in quibus tanta potentiæ Dei
uis ac maiestas relucet, ut rex quidam diuinitatis affectatione motus, illam sibi potissimum,
ut Deum se simularet, & suis terrorem incuteret, imitandam putarit. Maiestatem hanc multis
in locis Propheta celebrat, quod & infra circa Psalmi huius finem faciet. uix est enim alia, quæ
simili terrore mortalium animos concutiat. Sunt qui legant, Super occasum, ut uetus, Gra-
cos imitatus. Et ea lectio quadrat situi eius loci per occasum, unde per Dauidem arca Dei Ie-
rosolymam deducta est. Ducta est enim ab occasu. Ita legendum est, Qui ascendit per occa-
sum, uel ab occasu. Et rectè dicitur ascendisse, propter eminentiam situs urbis Ierosolymæ ad
quam ducebatur. Hieronymus legit, Per desertum: quæ lectio respicit ad egressum Israelitarum
ex Ægypto, quo per solitudines præuio Deo ad terram Cnaan ducti sunt. Et ista lectio mihi
uidetur propius ad Prophetæ mentem accedere, propter sequentia, ut uidebimus.

In Iah nomen eius.) בְּיָהוָה. Significat autem יָהוָה existentē, à uerbo יָהוּ, quod significat est.
Ita & Deus ipse se ad Moysen Exod. 3. uocat existentē, iubetq; ad Israelitas dicere יָהוָה שָׁלַח, id est,
Existens misit me. Magno spiritu nomen Dei יָהוָה, esse dicit Propheta. Q. d. Sileant à facie
eius omnes dij gentium, quicquid uspiam aliquid esse putatur. Omnia nihil sunt, Deus no-
ster solus est omnia. Et merito. Primum, quod solus essentiã habeat ex seipso: secundo, quod
nec unquam cœpit, nec aliquando desinet, sed semper existit, unde & sempiternus uocatur.
Tertio, quod ex illo sunt omnia, atq; in illo omnia mouentur & subsistunt. uide Act. 17. Quod
autem non simpliciter Deum יָהוָה uocat, sed id illi nominis esse dicit, ad hoc facit, ut non so-
lum id de Deo prædicet, quod uerus sit & sempiternus Deus, omnia in sua potestate habens,
sed quod & re ipsa euidentissimis ac potentissimis experimētis eū esse se declarauerit, indeq;
nomen hoc meruerit, ut יָהוָה uocetur. Aliud est enim esse aliquid, & aliud etiam nomen ali-
quod inde sortiri. Reperias multos doctos, qui tamen nondum sint nomen eruditionis con-
sequuti. Multi sunt pauperes, qui tamen dissimulata rerum penuria, non mox pauperes uocā-
tur. Ad hoc ut nomen alicui accedat, non est satis esse aliquid: sed opus est, ut id in mortalium
etiam sensus ueniat. Respicit ergo ad opera Dei mirabilia, per quorum declarationē id quod
Deus est, mortalibus innotuit, & in maiestatis illius nomen ac laudem transiit.

*Felix Prat. le-
git, cum Iah no-
mine suo. Atq;
ita referendum
est ad præce-
dēs, uidelicet q;
per desertum ascē-
derit cū Iah no-
mine suo, id est,
cum declaratio-
ne Iah nominis
sui.*

*Ver. 5. & 6.
Illustrius uide-
retur si uocare-
tur Rex regū,
et Dominus do-
minantiū, quā
pater orphano-
rum, & iudex
uiduarum.
Luc. 4. Multæ
uiduæ erant in
Israel tēporib.
Elizæ, & tamen
ad nullam illa-
rum missus est
Elias, &c.*

Qui pater est orphanorum, & iudex uiduarum.) Quid de Deo canere, & nomini eius psallere de-
beant, instruit: & simul indicat, quibus facinoribus probet se esse uerè existentē illum & sem-
piternum Deum יָהוָה. Mirum autem uideri potest, quod non augustiora & magnificentiora
adfert, utpote quod cœlos, terram & mare, uisibilia & inuisibilia, & quicquid uspiam est, ex
nihilò condidit, & potentia sua conseruat. Quid est quod patrem illum orphanorum, iudi-
cem uiduarum, multiplicatorem solitariorum, liberatorem uinctorum, ac dissipatorem re-
bellium esse prædicat? Accommodat laudem Dei ad captum populi, & ea potissimum præ-
dicat, quibus Dei cū bonitas erga adflictos, tum seueritas erga rebelles declaratur, ut men-
tes populi Dei ad fidem & obseruantiam Dei accendat. Quatuor miserorum hominum ge-
nera ponit, in quibus bonitas Dei declaratur: orphanos, uiduas, solitarios, & uinctos. Sub
his tamen & reliquos adflictos complectitur. Quomodo bonitatem Dei in istis ostendi di-
cit? Quid facit illis Deus? Cuique, quod ipsa miserandi ratio & necessitas exigit. Quid opus
est orphanis? Patrocinio, quo destituti sunt. Patris igitur locum illis supplet, unde pater or-
phanorum uocatur. Quid uiduæ? Defensor ac tutor. Causam igitur uiduarum iustus iudex
tuetur, ob id dictus iudex uiduarū. Quid suspirat solitarius? Domum & familiam. Hanc itaq;
illi largitur. Quid desiderat captiuus? Ut è uinculis liberetur. Liberat igitur uinctos è com-
pedibus. Ea est itaq; dei bonitas erga adflictos, ut necessitatibus illorum optimus consola-
tor succurrat. Atqui generaliter hoc in deo uerum esse non apparet. Multos nanque uidemus
orphanos

orphanos patrocínio, & multas uiduas iusto iudicio destitui, complures solitarios in solitudine consensescere, innumeris captiuos, in uinculis ad mortem usque detineri. Quid igitur dicit Propheta? Primum, non loquitur de illis, quibus ista merito contingunt, uel certè qui gratiæ illius capaces per improbitatem esse nequeunt. Deinde non loquitur de tali patrocínio, quod per mundi huius iudices & potentes administraretur (nam diuersum apparet) sed de uero illo, quod diuinitus hominum istorum generi impenditur, uel uisibiliter & temporaliter in hac uita, ut in Ioseph, Petro, Paulo ac Sylā uisum est, uel eternaliter in futura. Bonitas Dei prædicatur erga istos esse propensa. Quod autem non statim ita in oculis mortalium erga quosuis declaratur, certo fit Dei consilio, non curiose scrutando, sed cum reuerentia adorando. In terea tamen ad ea respicit, quæ primum Israeli, tum & sibi contigerunt. Israelitæ namque in Ægypto constituti, quid aliud erant quàm orphanæ, solitarij, uagi, & uincti? Et Dauid de se dixit, Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Item: Ego unicus & pauper sum, Dominus est adiutor meus. Item 2. Sam. 7. Prædicat sibi domum diuinitus esse ædificatam: & in oratione sua declarat, id idem esse atque domum suam à Deo benedici. De uinculis alicubi dicit: Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. In Christo uero Iesu potissimum ista Dei bonitas miseris mortalibus exhibita est: Non relinquam uos orphanos, inquit. Item, Lætare sterilis, quæ non paris: quoniam plures filij desertæ, quàm eius quæ habet uirum, qui locus de Ecclesia intelligendus est. Et Esa. 24. Vt aperires oculos cæcorum, & educeres uinctos de domo carceris. è quo capite testimonium de Christo sumpsit Matth. cap. 12. Et Esa. 49. idem legitur de Christo, teste Apostolo Act. 13. & 2. Cor. 6.

Consolatio est pupillorum, uiduarum, solitariorum, & captiuorum, simulque omnium afflictorum, in eo quod talem habent Deum, potissimum in Christo.

Cauendum esse omnibus, ne quo pacto uiduas, pupillos, solitarios, peregrinos, & captiuos contristent. Est enim periculosum eos lædere, qui Deum habent patronum, tutorem ac iudicem. Vide Deute. 10. Prouerb. 23. Zach. 7. Exod. 22. Quin magis hoc curandum, ut quos Deus charos habet, nobis quoque sint quàm commendatissimi.

Singulariter autem hic locus notandus est iudicibus & magistratibus, Dei ministris, qui gladium à Deo acceperunt ad defensionem bonorum, castigationem malorum, ut singulariter quoque hoc hominum genus curæ suæ concreditum tueantur. uide Esa. 1. Principes tui sunt socij furum, & infideles. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa uiduæ non ingreditur ad eos. Propter hoc ait Dominus exercituum: Heu consolabor in hostibus meis, &c. Item uide cap. 10. Væ qui condunt leges iniquas, &c.

Deus in habitaculo sacrarij sui.) Hoc est, Deus qui in sacrario isto habitaturus se pollicitus est. Quare non dicit, Deus in cælo sedes eius? An non gloriosius est in cælo sedem habere, quàm in arca illa lignea? Plus admirationis habet, & magis ad gloriam & laudem Dei facit, quod inter homines conuersari, & in medio populi sui habitare uoluit, quàm quod cælos inhabitat. Ita Psal. 8. Propheta satis admirari nequit consilium diuinæ bonitatis, quo humanæ miseriæ rationem habere dignatur, cum dicit: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. Cum uideo cælos tuos, opera sunt digitorum tuorum: lunam & stellas, tu fundasti eas. Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis, quod uisitas eum? Deinde magis etiam conueniebat Psalmi proposito, & mirum in modum seruiebat fidei populi, ut admoneretur in medio sui habere Deum, & assuesceret pendere à promissionibus Dei.

Veruntamen rebelles iacent in terra arenti.) Hoc ad exprimendam seueritatem Dei erga impios & rebelles adiectum est. Respicit autem ad eos qui in deserto rebelles perierunt, nec ad terram promissam admissi sunt, quam contempserant. Horum ob id meminit, ut populum admoneat sinceritatis & obedientiæ erga Deum, ne istorum exemplum per rebellionem secuti, consimiliter pereant & ipsi. Atque ob eam rationem supra ad gaudium & canticum ante Deum uocauit iustos, hoc est, fideles & sinceros, quorum corda recta sunt & integra cum Deo.

Propter hanc particulam, & quæ mox subiiciuntur, inducor, ut arbitrer uersionem Hieronymi ad Prophetæ mentem propius accedere, in eo quod supra reddidit, Qui ascendit per desertum. Nam omnino hic solitudinis meminit: & statim uersu sequenti egressus ex Ægypto, qui per solitudinem factus est, mentionem faciet.

Ista admonitio huc facit, ut incutiatur durioribus timor Domini. Nam idem qui suis uult pater esse orphanorum, & iudex uiduarum, solitarijs parare domum, captiuos è uinculis educere: si contemnatur, uiceuersa potest ubi non erant, facere uiduas, orphanos, solitarios & captiuos: imò, non solum orphanos facere, uiduas, solitarios & captiuos, sed & ita perdere, ut ipsum quoque semen impiorum extinguat. Et uide quàm non uereatur patres huius populi, in ipsorum Ecclesia, è quibus & ipse erat, qui mirabilia Dei uiderant in Ægypto, quos Deus magnis portentis ex Ægyptiaca seruitute omnium durissima liberauerat, per mare rubrum duxerat, in itinere per columnam nubis & ignis direxerat, in fœdus assumpserat, cœlesti manna pauerat, hos ipsos inquam non ueretur uocare סוררים, id est, rebelles. Hodie parum reuerentes

Psal. 26.

Psal. 24.

Psal. 115.

Christus.

Ioan. 14.

Esa. 54.

OBSER. I.

Vide Psal. 146.

II

III

De istis uide

Num. 14. &

Deut. 1.

rentes habentur erga maiores, qui non omnem illis iustitiam ac pietatem tribuunt, cum res ipsa diuersum clamet. Nolim probri gratia maiorum delicta exaggerare. Verum ut prædicetur patientia Dei, & admoneantur minores, ne quod à prioribus malè admissum est, sequantur, opportunè & bene subinde ad memoriam reuocatur, quicquid malè gestum est à maioribus. Tale est & illud, quod psalmo 78. habebimus: Ne fiant sicut patres eorum *וְיִרְאוּ*, id est generatio rebellis & exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, & cuius spiritus erga Deum fidelis non fuit.

Appendix ad
uerf. 6.

1. Cor. 14.

Luce 12.

Qui habitare facit solitarios cum familia.) Particula hæc uariè legitur & exponitur propter dictionem *יָחִיד*, quæ à quibusdam pro unanimi, à nonnullis uerò pro solitario sumitur. Pro unanimi exposuerunt ueteres Græci, quos Latini sequuti sunt, legentes: Qui habitare facit unius moris, id est, unanimes, in domo. Hac lectione prædicatur donum Dei, quo datur mortali- bus, alioqui in tot sententias, quot capita diuisis, ut unanimi inter se sententia & summa concordia pacatissimi habitent. Donum hoc certè ingentem adfert commoditatem, & magnaliberat molestia, dignum quod deo adscribatur & laudi detur. Confugiamus ergo non solum pro domestica, sed & Ecclesiastica concordia, ad doni huius largitorem, deum uidelicet non dissensionis, sed pacis, quotiescunq; author ille dissidiorum satan pacem nostram turbare molitur. Quibus in coniugio & domestico consortio bene conuenit, agnoscant gratiam dei, & grati sint. Quibus uerò malè, implorent deum pacis & concordie, ut det unanimiter in pace consistere. Intelligendum est autem hoc donum non nisi de bona, quæ in bono sit, concordia & pace. Alioqui melius est esse discordes quàm concordēs in malo. Vnde & Christus non uenit pacem mittere, sed separationem. Erunt enim, inquit, ex hoc, quinque in domo una diuisi, tres aduersum duos, & duo aduersum tres diuentur: pater contra filium, & filius contra patrem suum: mater contra filiam, & filia contra matrem: & socrus aduersus nurum suam, & nurus aduersus socrum suam, & (Matthæi decimo) inimici homines erunt domestici eius. Ergo Christus author est turbatæ pacis: Vtique. Sed cuius? Malæ, non bonæ. Bonæ nobis *וְיָחִיד* est, non turbator. Ipse est enim pax nostra, Ephes. 2. Et ipse spiritus sanctus, qui diuisos populos suo dono in unitatem fidei congregat, quid aliud facit, ubi bellum inter carnem & spiritum hominis regeneratum excitat, quàm quod hominem antea sibi ipsi consonum, magno dissidio disturbat? Hoc debebant cogitare, qui cælum ac terram hodie improbis querelis replent, quod status Ecclesiæ hætenus pacatus, noua, ut uocant, doctrina Euangelij sit turbatus, & miserè scissus. Si pax bona, quæ in ueritate & solida pietate fuerit, turbata est hac doctrina, certè meritò queruntur: sin autem mala, quæ in superstitione & errore fuit, turbata est, definant blasphemare opus dei, uel certè blasphement & ipsum Christum, qui nō minus diuturnam pacem in toto ubiq; terrarum orbe & doctrina sua, in maxima mutauit dissidia. Non placet & nobis dissidium Ecclesiæ. Quis enim non mallet concordiam Christianorū, quàm dissidium? Est enim certum indicium, quod male feriat homines quærant non quæ Christi, sed quæ sua sunt: deinde quod adhuc multorum corda ignorantie tenebris pressa sint: attamen, malum istud dissidiū, quandoquidem uera in uera pietate cōcordia nondum datur, quàm pristinam in summis superstitionibus & ignorantie tenebris concordiam.

Recentiores uerò cum Hieronymo legunt, Qui solitarios habitare facit in domo. Et hæc lectio bifariam intelligitur. Primū de benedictione illa dei, qua ex solitarijs & unicis reddit amplissimas familias: ut habitare in domo, idem sit atque fecundum fieri, & benedictione solibus multiplicari. Sic Psalm. 112. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum latantem. Et hæc benedictio dei digna est, quæ fidei admiratione & consideratione deprecetur. Quo desiderio multi boni patres benedictionem hanc dei exquisierint, multa habentur sacre scripturæ testimonia. Contra hanc peccatur dupliciter. Aut fidei imbecillitate per eos, qui donum hoc non pro dono, sed pro molestia & magno grauamine iudicant & fugiunt: aut carnali affectu erga liberos, de quo est Psal. 17. & 146.

Deinde intelligitur de ijs solitarijs, qui cum miseria sedibus suis abiguntur, & non habent, ubi pedem figant: qui rectè solitarij uocantur, eo quod omnium suorum ope & subsidio destituti sunt. Hos quoq; deus magna cura suscipit, & tandem quieti domesticæ restituit. Redduntur autem solitarij tales, uel bello, ut Israelitis contigit in Babylonem ductis: uel famis necessitate, ut Abraham, Isaac & Iacob, usuuenit: uel creditorū improbitate, quod uiris Dauidis sub Saule accidit: uel tyrannica uolentia, quod patuit in Dauide: uel religionis gratia, ut euenit Abraham, & alijs cum in ueteri, tum nouo Testamento. Et de huiusmodi solitarijs malo hunc locum intelligere, eo quod apparet illum hoc in Deo commendare, quod miserorum curam habeat. Admonemur ergo hoc sensu primū, qui hac molestia non laboramus, ut gratiam dei cognoscamus: deinde, & talium rationem habeamus, deoque in illis recipiendis seruamus. Deinde, ut ij qui hac miseria laborant, bono animo sint, certi deum esse *יָחִיד*, id est, locantem solitarios in domo, hoc est, domesticæ quieti uagos restituentem.

Qui educit uinctos.) Et hoc pensandum est. Non est autem tantum de his intelligendum, qui corpora-

A corporaliter in uinculis detinetur. Est enim duplex captiuitas, corporalis una, spiritualis altera. Corporalis rursus aut est carceris, qualis erat Ioseph: aut est tyrannica, qualis erat filiorum Israel in Aegypto. Spiritualis uero est, quæ sub falsa religione captiuos detinet. Et hæc quoque duplex est: aut enim interna est in conscientijs, per uincula superstitionum: aut externa, per uim principum & episcoporum, qua miseri subiecti coguntur falso cultui esse obnoxij, nec permittuntur ad ueritatis libertatem adspirare. At de omnibus istis captiuitatibus liberat Deus, quod patuit in Iosepho, Israelitis & Christianis. Et hæc nostra tempora satis declarant istam Dei potentiam. Liberati igitur, primum gratias agant liberatori: deinde pro uinctis fratribus & sororibus fideliter ad hunc uinctorum liberatorem clament.

Rebelles iacent in terra arenti. (סוררים, sunt declinantes & retrocedentes. Vnde פרח סוררים uacua iugum detrectans, ac retrocedens uocatur. Tales erant filij Israel in deserto. Retrocedebant, atque idcirco meritò, licet educti ex Aegypto, in terram quietis non uenerunt, sed in deserto, quod hic terram arentem uocat, prostrati sunt. Non est igitur satis, liberatum esse à captiuitate, nisi in fide & obedientia Dei permaneas, ut ueram requiem intrare detur. Quam enim nihil profuit Israelitis, quod Aegyptum egressi fuerant, cum in deserto facti סוררים, misere perierint, tam certè nec nobis proderit, quod è laqueis errorum, ac superstitionum extricati, & tyrannide ista Antichristi liberati sumus, si & ipsi סוררים esse uouerimus, atque ideo in itinere solitudinis huius præterquam in fide persistendo, cœlestem requiem ingredi maluerimus.

Deus cum egredereris ante populum tuum, cum iter faceres per solitudinem. Selah. 7

Terra tremebat, & cœli quoque stillabant à facie Dei, & ipse mons Sinai, à facie Dei Israel. 8

A facie Dei, & ipse mons Sinai. (Ebraicè sic, וחסירי כבודי ישראל. Græcus legit, ἀπὸ προσώπου τοῦ θεοῦ οὐρανός, id est à facie Dei Sinai. Vulg. lat. A facie Sinai, à facie Dei Israel. Hieron. A facie tua Deus, hoc est, in Sinai, à facie Dei, Dei Israel.

LECTIO.
Vers. 8.

Potentiam ac bonitatem Dei in liberatione Israelis & egressu ex Aegypto declaratam consequenter extollere Propheta, & populum Dei utriusque admonere instituit. uidebat enim redemptionis illius memoriam non satis in animis illorum uiuere, cum tamen diuinitus mandatum esset, ut egressionis huius per omnes uitæ suæ dies recordarentur, cuius etiam gratia Deus toties Israeli inculcauit hoc beneficiū, dicens: Ego sum Deus tuus, qui eduxi te ex Aegypto, de domo seruitutis.

EXPLA.
NATIO.
Deut. 16.

Nec præter rationem egressus huius mentionē fecit Propheta. Primum enim ad id proderat, ut grati essent. Non potest quippe ulla esse animi gratitudo, ubi acceptū beneficium oblivione extinguitur. Deinde etiā ad confirmandam omnipotentiae ac bonitatis diuinæ fidē faciebat: admonebatque quid de Deo suo polliceri sibi deberent. Cōsimili, imò multo maiore ratione & nobis indefinenter, quod per Christum est redemptionis beneficium, inculcandū est. Et Christus ipse memoriā suam ob eas rationes in cœna nobis instituit.

Matth. 26.

Deus cum egredereris. Non dicit, Deus, cum egrederetur populus tuus: sed, Cum egredereris ante populum tuū. Nā non hoc simpliciter Israeli in mentē reuocat, quod maiores ipsorum ex Aegypto liberati, uel quod per Mosen & Aaron iussu & potentia Dei educti sint: sed quod Deus ipse tanquā totius profectionis ductor, moderator & protector, magna illos cura & prouidentia, uelut pastor gregem suū præeundo, ne quo pacto læderentur, duxerit. Atque eā præsentiam & ductū, cum per columnas nubis & ignis nocte ac die, tum per arcam illis uisibiliter quoque exhibuit. Cur autem huius meminit? ut admonerentur ita solere Deū in quibuscunque necessitatibus adesse populo suo, illumque cum summa prouidentia ducere ac reducere. Ideo non dicit, Deus cū egredereris ante maiores nostros, uel ante Mosen & Aaron: sed, Ante populum tuum. Et adiecit, Cum iter faceres per solitudinem. Ergo ea est fides & fiducia Dei erga populum suum, ut illum non deferat, sed in periculis & molestia comitetur, imò præcedat etiā & uiam faciat in inuio. Et quoniam ista Dei cura ergo populum suū, nunquā satis expendi potest, adiectum est Selah, quod cogitandi & considerandi notam habet. Hac consolatione & nos recreemur, qui non ex Aegypto per Mosen, sed ex captiuitate satanæ ad cœlestem patriam, per uastā mundi huius solitudinem, duce Christo filio Dei liberati, proficiscimur: quod & ante nos gradiatur Deus noster, ut sua uirtute & protectione ab omnibus periculis tutos reddat, & tandem ad cœlestia inducat.

Vers. 7.

Ea est boni ducis fides, ut quæ admodū de iulio Cesare legitur, nō dicat militibus: Ite illò, sed uenite huc. Participatus enim cum duce labor, militibus minor uidetur.

Declaratam Dei potentiam in monte Sinai, cum fœdus esset cum populo suo initurus, hoc uersu canit. Tanta autem uis illius est, ut cœlum & terram concutiat. Huius admonet, cum dicit: Terra tremebat, & cœli quoque stillabant à facie Dei. Historiam ipsam uide Exod. 19. & 20. cuius non frustra meminit. Nam ibi fœdus cum populo suo Deus percussit & confirmauit, legisque tabulas dedit, quæ & tabulæ testamenti uocantur, & in arca seruabantur. Igitur non solum in mentem illis reuocat, quam potentiam Deus in monte Sinai ostenderit, sed & iacti

Vers. 8. Terra tremebat.

Ebr. 12. Cuius uox tunc terrā tremefaciebat. Vide Ebr. 12.

quomodo illic
exaggeretur in
credulitas eorū
qui Christo nō
credunt, ex col
latiōe terroris
huius, facti in
monte Sinai.

fœderis admonet. Terror autē ille, qui populo incutiebatur, quid uoluerit, Moſes ipſe Exodi 20. exponit, cū dicit: Nolite timere, ut enim probaret uos, uenit Deus: & ut terror illius ſit in uobis, ne peccetis. Rectē itaq; illius recordatur Propheta, ut ſimul admoneat obſeruatiōe Dei: & iuxta innuat, per potentiā eam Dei, qua cœlum ac terram, cū fœdus firmaretur, conculſit, ſatis oſtenſum eſſe, quā quod pollicitus eſt Deus, præſtare poſſit, & fœdere iunctos tueri. Nec ocioſum eſt, quod repetit illud, A facie Dei: adiūcto epitheto, Iſrael. Nequit enim ſatis admoneri populus Dei. Verū illum & omnipotentem Deum, qui omnium quæ in cœlo & terra ſunt, Dominus eſt, adeoq; ſolus ſaluare ac perdere poteſt, eſſe Deum ſuum. Nam ea in re ſita eſt uera felicitas, & omniū maxima conſolatio, de qua alibi Propheta dicit: Beatus populus cuius Dominus Deus eſt. Neq; enim ſimpliciter & eo modo uocat Propheta Dominum Iſraelis Deum, quo omnium mortalium Deus eſt, ex quo omnis omniū uita eſt, & omnia ſubſiſtunt: ſed quo ſingulariter eorum Deus eſt, quos ipſe ſibi ex omnibus nationibus delegit, in quibus bonitatem ſuam & ſalutem ad nominis ſui gloriam declarat.

Duos hoſce uerſus deſumpſit Propheta, paucis uerbis immutatis, ex libro Iudicum, in cuius capite quinto, in cantico Deboræ, ita legitur: Domine cū egredereris de Seir, cum proficiſceris de Edom, terra tremuit, etiā cœli diſtillarunt, etiam nubes diſtillarunt aquam. Montes fluxerunt ante faciē Domini, Sinai ille, ante faciē Domini Dei Iſrael. Videmus hic quo ſpiritu ſancti potentiā Dei, quam in educendo populum ſuum exeruit, expenderint, quā in illa exultarint, quā illius obliuiſci nequuerint, quā gloriam Dei in illa deprædicarint. Deinde obſeruandum eſt, Dauidis in ſcripturis exercitium. Credimus illum pſalmos ſuos ſpiritus ſancti inſtinctu compoſuiſſe: & rectē credimus, Nā & Chriſtus id de illo teſtatur, Matth. 22. Et tamen uidemus apertē hoc loco, quod & exercitio ſcripturarum uſus ſit. Ergo non eſt ſtatim credendus abſque ſpiritus ſancti inſtinctu dicere & canere, qui ſacris ſcripturis utitur, quod phanatici quidam hodie fingunt.

Ita & initium
huius pſalmi
ex cap. 10. Nū.
deſumptū eſt.

- 9 Pluuiam largam Deus hæreditati tuæ deſtillas, & adſiſtā tu reparas.
10 Pecus tuum habitat in ea, dirigiſ in bonitate tua adſiſtū Deus.

Ingreditur ad beneficia Dei Iſraeli præſtita recensenda. Duobus autem hiſce uerſibus commendat donum fertilitatis terræ Cœnaan, diuinitus ac cœlitus conſeſſum. Per hæreditatem enim Dei, terram illam intelligit, in qua populus Iſrael, quem Deus ſibi loco hæreditatis ex omnibus orbis nationibus elegerat, expulſis impijs gentibus, habitabat. Eſt autem ea terra D multum diſſimilis Aegypto, quæ aquarum riuulis irrigatur ac fœcundatur. Montoſa ſiquidē eſt, & collibus plena, ut neceſſe habeat cœlitus demiffa pluuiā Ea de re Deutero. 11. ſic legitur: Terra enim ad quam ingredieris ad poſſidendum, non eſt ſicut terra Aegypti, de qua exiſti, ubi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: ſed montoſa eſt & campeſtris, de cœlo expectans pluuias, quā Dominus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi illius in ea ſunt à principio anni uſq; ad finem eius. Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego præcipio uobis, ut diligatis Dominum Deum ueſtrum, & ſeruiatis ei in toto corde ueſtro, & in tota anima ueſtra, dabit pluuiam terræ ueſtræ temporaneam & ſerotinam, ut colligatis frumentum, & uinum, & oleum, fœnumq; ex agris ad paſcenda iumenta: & ut ipſi comedatis, ac ſaturemini. Ad hoc beneficium Dei uidetur reſpicere Propeta, illiusq; populum admonere, ut prouidentia iſti ac uerſus diuinæ diſcant omnem eius terræ fertilitatem adſcribere. Notanda ſunt igitur hiſce uerſibus iſta.

Primum.

Pluuiam terræ neceſſariam ad hoc, ut fœcundetur, expectandam eſſe à cura & prouidentia Dei, quā Moſes totius anni tempora continuo proſpectu moderari docet. Nec eſt ſine ſingulari diſpenſatione diuinæ prouidentiaē factum, quod populo ſuo non talem terram dedit, qualis eſt Aegyptus, quæ humana poſſit opera irrigari ac fœcundari: ſed arentem, montoſam, & collibus refertam, quæ opus habeat cœleſti pluuiā. Potuiſſet populum ſuū, ſubmerſo Pharaone cum omni exercitu, in Aegyptum reducere: & eam terram, quæ certē ditior & cōmodior eſt, quā ſit Cœnaan, illi dare. Verū Aegyptum illi nec dedit, nec promiſit: ſed hanc terram, quæ neceſſariam pluuiam cœlitus expectaret. Noluſt enim illos ſibi ipſis ea in re proſpicere poſſe. Sed inquis: Nunquid & multarum gentium regiones eadem conditione ſunt, ut & ipſæ cœleſtem pluuiam expectent? Ergo id commune habet Iſrael cum illis. Verum eſt. Multa habent impij, quibus cum pijs cōmunicant. Sunt & impijs multæ tribulationes, quemadmodum & iuſtis. Iuſtis uerō conſolationes huius uitæ non dat Deus ut impijs: quia non prodeſt Ita cōmoditatem Aegyptiacæ terræ populo ſuo non conceſſit, ſed in talem terram illum collocauit, quæ ab Aegypto eſſet admodum diuerſa, licet multarum gentium regionibus conformis ſit. Vt igitur non ſequitur, non fieri ex ſingulari Dei prouidentia, quod multæ ſunt iuſtorum tribulationes, eo quod & multa ſint flagella peccatoris: ita non ſequitur, non eſſe ſingulari diſpenſatione Dei factum, quod in talem terram collocatus ſit Iſrael, ob id quod & multæ aliæ gentes conſimili neceſſitate teneantur, qua tenetur terra Cœnaan. Ad hoc illud præterea factum

factum est, ut assuesceret infracta fide necessariam telluris fecundationem petere & expectare à Deo suo, adeoque & hac in re ab ipsius providentia pendere. Quamquam enim bonitas ista Dei, qua solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super gratos & ingratos, impendatur & reprobis, non tamen ex eo sequitur, populum Dei non debere hanc beneficentiam à Deo bona fide petere & expectare. Voluit enim Deus uel ipsa necessitate uictum à se pendere populum suum. Et hinc est quod inobedienti pluuiam negaturum se comminatus est, Deut. 28. dicens: Quod si nolueris audire uocem Domini Dei tui, &c. erit cælum quod supra te est æneum, & terra quam calcas ferrea. Dabit Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, &c. Econtra si audieris uocem Domini Dei tui, &c. aperiet Dominus thesaurum suum optimum cælum, ut tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo, &c.

Quod laudandi Deum gratia ista commemorans, non de Deo, sed ad Deum loquitur, admonet pro dono pluuiæ Deo agendas esse gratias, beneficiumque hoc ex animo deprædicandum. Non enim satis est, fateri pluuiam non nisi à Deo demitti: sed agnoscendum est donum Dei, cumque gratiarum actione celebrandum. Habet hoc humana peruersitas, ut de communibus ac uulgaribus Dei beneficijs non admodum grata sit, quasi hoc ipso uilia sint, quod passim per totum terrarum orbem, etiam malis & ingratissimis dispensantur. Quam autem pluuiæ donum sit magnum ac necessarium, tum potissimum patet, quando cælum propter mortalium malitiam aliquandiu clauditur. Vide historiam 1. Reg. 17. Reperias hodie plus æquo spirituales, qui usque adeo terrena se non curare simulent, ut de his ac similibus Dei beneficijs nunquam dignentur Deo gratias agere, putentque carnalis hominis esse, istam Dei bonitatem deprædicare. Vides autem hic quam diuerso sint à Dauide tam insigni propheta spiritu.

Notandum est autem in eo, quod non solum dicit, Pluuiam Deus hereditati tuæ destillas: sed, Largam: addit quod sit ingenium animi uerè grati, id uidelicet, ut beneficia Dei libenter amplifiet. Qui non ex animo gratias agunt, sed perfunctorie, illi beneficiū Dei malignè quoque prædicant. Ingrati hominis est, diuinam beneficentiam extenuare, & ibi conqueri, ubi eant agenda gratiæ. Putamus ne pari copia quotannis cælestem isti terræ Dauidis tempore datam esse pluuiam? Certè credibile est propter populi malitiam subinde parcius esse datam. Attamen Propheta agnoscit & deprædicat istam Dei beneficentiā pro copiosa & largiter demissa גריבה quippe significant ea quæ munificè ac liberaliter dantur. Vnde גריבים dicuntur principes & magnates propter munificentiam.

In eo quod dicit uersu 9. Pecus tuum habitat in ea, ac dirigis adflictum, uel pauperem, ut Felix legit, &c. admonet qua ratione Deus terræ det fertilitatem. Pluuia cælitus demissa, pecus tuum, inquit, habitat in ea. Quasi diceret: Curas pecus tuum, quod in hac terra habitat, rationem habes adflictorum tuorum ac pauperum, & ob id pluuiam demittis, terramque fecundas, ut sit unde tui uiuant. Intelligit autem per חיה Dei, id est, pecus uel gregem Dei, populum Israel, quem Deus in ea terra, uelut pastor pascendum sibi delegit. In qua metaphora non hoc nobis suggeritur, quod populus electus Deo sit per contemptum loco pecudis: sed quod illius curam gerat, qualem solet bonus pastor impendere gregi suo, sedulam uidelicet & irremissam. Nostrium quidem est, ut de nobis non sentiamus aliter coram Deo, quam ueluti de iumentis aut ouibus errantibus, in quibus nihil sit eximij, quorum omnis salus à cura Dei summi pastoris pendeat. Sic Dauid infra Psalmo septuagesimo secundo: Vt iumentum factus sum apud te. Item, Erraui sicut ouis quæ perijt, &c. Est ista similitudo gregis & pastoris celebris in scripturis, nec frustra. Nihil enim ita commendat, cum quod nil sumus, tum quod omnis nostra salus cura Dei nititur.

Versum hunc quidam aliter exponunt. Per pecus nihil intelligunt aliud quam oues, boues, & reliqua iumenta, quæ ad usum pauperum & inopum in terra Cænaan educabatur. ut enim ea terra, iuxta uerba Moysis, montosa & plena collibus est, magis apta est ad pastum pecorum, quam ad agriculturam & uinearum sationem, licet & illis non planè careat. Quantum autem sit etiam hoc ad mortalium sustentationem ex pecoribus sumptum subsidium, nemo est qui ignoret. Deinde & in scripturis uidemus patres huius populi, Abraham, Isaac & Iacob, pastores fuisse, omnemque uictum ferè de pecudibus sumpsisse. Ob hanc causam nonnulli, non prorsus ineptè, hunc uersum ita legunt: Armentum tuum in ea errat quod tu Deus bonitate tua pauperi comparas, uel certè dirigis ac sustentas. Non est autem rarum in scripturis, maximè Psalms, relatiuam istam uoculam אשר subintelligi: quæ si posita esset, nihil esset hic obscuritatis, utpote si ita contexta essent uerba: חיה אשר חיה בטרבתה לעג אלחיים id est, Pecus tuum habitat in ea, quod paras in bonitate tua inopi Deus. Psal. 78. circa finem בארץ id est, sicut terra fundauit eam in seculum. Hic deest אשר quam, ita & Psalmo 7. יפועל בשחה יפועל id est, Et incidit in foueam, fecit. Hic quoque addendum est אשר quam. Et Psalmo 9. טבעו גרים בשחה עשר id est, Immerse sunt gentes in fouea, fecerunt. intellige אשר quam fecerunt. Non immeritò commendatur sanctum illud alimonie genus, quod ex pastu pecorū cum benedictione Dñi sumitur, cuius studiosi fuerunt multi sanctissimi uiri.

Alia istorum duorum uersuum expositio.

Sunt qui duos hosce uersus, nec de terra Cenaan, nec de illius irrigatione per pluuiam, nec de habitatione siue Israelis, siue pecorum, in ea terra, sed parabolicè de bonitate Dei exponant, qua Israellem afflicto, & ex Aegypto eductum per suam presentiam & opem contra hostes, de qua in sequentibus ueluti terram aridam ac sitientem pluuiam quadam recreauerit ac direxerit: in qua bonitate etiam Israel hereditas Dei, habitauerit, id est tuto conquiescit. Et hoc sensu per pluuiam pulchrè nobis commendatur cœlestis gratia, quouis tandem modo illa super mortalium cordium ariditatem destilletur, & ad illorum irrigationem ac recreationem delabatur, siue per oracula promissionum diuinarum, siue per beneficium aliud quod externum, quo diuina erga nos beneuolentia declaratur. Quid enim nos aliud sumus, quàm terra supra modum arida & siticulosa? Ex nobis ipsis quippe nihil habemus, unde subsistere possimus. Et unde irrigari ac foueri possumus, quàm cœlitus, sensu quodam & gustu cœlestis gratiæ, instar pluuiæ demissæ percepto? Esaiæ 55. comparatur uerbum Dei pluuiæ. Isti uerò gratiæ primum hoc datur, quod sit larga ac munifica. Ita Apostolus Deum uocat, Deum omnis consolationis. 2. Corinth. 1. Et 1. Petr. ultimo, uocatur Deus omnis gratiæ. Et alibi, pater miserationum. Deinde quod destilletur super hereditatem Dei. Rectè est enim populo dei peculiariter deputata. Cœlestis quidem pluuiam terram inebrians, & germinare faciens, super malos & bonos demittitur: ista uerò quæ corda recreat, electis est destinata. Tertio illi datur, quod reparet, & tuto consistere ac conquiescere faciat afflicto. Nusquam certè afflictæ conscientie peti potest, unde reparetur, & in quo quiescat, nisi in una hac diuina beneuolentia & gratia.

11 Dominus dedit sermonem, dedit renunciatrices magnæ uirtutis.

12 Reges exercituum fugierunt, fugierunt: & turba domestica diuisit spolia.

13 Licet federitis inter ollas fuliginosi, sicut alæ columbæ de argentatæ facti estis, & cuius pennæ sint deauratæ.

14 Cum dispergeret omnipotens reges in ea, niuea erat uelut Zalmon.

LECTIO. Dominus dedit sermonem.) Græc. & Vulgata latina, sic legunt hunc uersum: Dominus dabit uerbum, euangelizantibus uirtute multa. Hieron. Domine dabis sermonem annunciatricibus fortitudinis plurimæ. Iustin. Annunciatricibus exercitus multi. Felix, Dominus dabit sermonem annunciatricum exercitus multi. Pag. Dominus dabit sermonem, earum quæ nunciant exercitus magnus erit. Chal. sic: Deus dedit uerba legis populo suo, meditantibus Mose & Aharone, qui annunciauere uerbum dei exercitui magno Israelis.

Vers. 12. Reges exercituum fugierunt.) Græca & Vulgata latina sic: Rex uirtutum dilecti & speciei domus diuidere spolia. Hier. Reges exercituum fœderabuntur, fœderabuntur: & pulchritudo domus diuidet spolia. Iustin. Reges exercituum retrouertentur retrouertentur: & hera domus diuidet spolia. Felix, Reges exercituum fugient fugient: & habitatrix domus diuidet spolia. Sic & Pagnin. Nisi quod legit, Et habitaculum domus diuidet spolia. Et Camp. quoque: Et uideles, inquit domestici diuident spoliū.

Vers. 13. Licet federitis inter ollas.) Græca & uulgata latina sic: Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ de argentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Hieronymus: Si dormieritis inter medios terminos pennæ columbæ de argentatæ, & posteriora eius in uirore auri. Felix: Si dormiatis inter chytropodes, alæ columbæ de argentatæ, & pennæ eius uiriditate auri. Pagnin. Si dormieritis inter tripodes, eritis sicut pennæ columbæ, quæ testæ est argento, & alæ eius flauo auro.

Vers. 14. Cum dispergeret.) Vulgata latina sic: Cum discernit cœlestis reges super eam, niue dealbatur in Zalmon. Hieronymus: Cum diuideret robustissimos reges in ea, niue dealbata est in Zalmon. Iustin. Niue dealbatis eam in umbra mortis. Ille legit pro זלמן זלמן. Felix: Dum extendet omnipotens reges in ea, uelut niuem dealbabis obscuritatem. Pagn. Cum extendit omnipotens reges in ea, iungere faciet Zalmon. Camp. sic: Quum distribueris o omnipotens per uarias provincias, qui regant eam, tum candidiorem reddes eam niue, quæ hucusque uersata est in obscuro.

EXPLANATIO. His uersibus & aliquot sequentibus canit Propheta uirtutem dei, qua populo suo contra hostes, tot reges uictoriam tribuit. Versibus 11. & 12. prædicat donum tripudiandi post uictoriam contra hostes. Erat id moris huic populo, ut acquisita uictoria, mulierculæ epinicion canerent tripudiantes. Tale quid uidemus factum post submersionem Pharaonis in mari rubro, deinde & post casum Goliath ubi Sauli mille, Dauidi uerò decem millia dabant tripudiantes muliercularum chori. Ingens sanè gaudium est, ubi datur deuictis hostibus carmen triumphale canere. Proinde uersu 11. adscribit id diuino muneri quo dante ad cantandum epinicion aperiuntur ora angustiatorum. Dominus, inquit, dedit sermonem. Intellige uictoriæ nuncium. Dedit renunciatrices, &c. repetendum uidetur illud דָּבַר dedit. Vocat autem renunciatricem.

Anunciatrices חַבְשִׁיטָה, bonas nuncias, cum tripudio uictoriam prædicantes ac celebrâtes. Harum, inquit magnam copiâ dedit. Hoc est, ingēs & publicum tripudiū dedit. Voluit aut ita insignes ac celeberrimas uictorias exprimere quas populo suo Deus deuictis hostib. dedit.

Quid his uerbis aliud commendat Propheta, quàm omnem hostium uictoriam esse à deo: huius fuisse donum, quodcumq; superatis hostibus gaudio sint affecti maiores, quod ob id monet, ut discant ab illo pendere, uirtutem eius agnoscere, in q; illam omnem fiduciam collo care, quantumuis potentes hostes aduersum se patiantur. Nouerunt & gentes uictoriam in diuino positam esse, non humano arbitrio: unde & simulacrum Victoriæ in templis colue runt. Tanta uerò mortalium temeritas est, ut rem tam arduam & periculofam proprijs uiri bus toties ipsa experientia ostendente diuersum adscribant. Huc pertinet & uers. 12. Reges ex ercituum fugierunt, &c. facit hoc uelut canticum חַבְשִׁיטָה renunciaticum, quo fugam re gum potentissimorum tripudiando canant. Prædicatur autem in eo ingens Dei & miracu losa uirtus, quod bona regum bellicosorum turbæ domesticæ, imbelli ac pauidæ, in spolia ce dunt: cum uerisimilius sit, substantiam imbellorum cessuram in prædam regibus ad bella in structis ac potentibus. Sed hæc est potentia dexteræ Dei, qua uis & superbia tyrannorū fran gitur, & populo imbelli succurritur. Reges autem ita deuictos nec nominat, nec recenset. Re spicit enim non ad aliquos tantum, sed ad omnes eos, quos cum per Mosen Deus, tum per Io sua, & postea per duces Israelis sua uirtute strauerat, cum populum suum in terram Cenaar introduceret, in q; illa eiectis gentibus habitantem subinde à tyrannis liberaret. Quid est au tem quod non dicit, Reges exercituum contriti sunt, contriti sunt: sed, Fugierunt, fugierunt: cum tamen omnes terræ illius reges prostrati interierint? Præclarissimum encomium est di uinæ uirtutis, quod reges ad bella instructos, adempta omni animi fortitudine, ita perterrefa cit, & consternatis animis in fugam præcipitat, ut congressum eorum, quos uorare per con temptum uolebant, nec expectent, nec ferre ualeant. Commendandæ huius uirtutis diuinæ gratia, arbitror illum fugiendi uerbo usum esse.

Hi duo uersus commutationem rerum tristitiam in maximam prosperitatem populo & hæ reditate Dei accidisse canunt. Vtitur autem Propheta sermone parabolico, per abiectionem inter ollas fuliginosas, summam calamitatem & grauissimam seruitutem: & per columbā can dentem ac deauratam, uice uersa summam rerum lucem ac prosperitatem significans. Admo net igitur populum Dei, in quanta fuerint miseria, primū in Ægypto: deinde in ipsa quoq; terra Cenaar tempore Iudicium ab hostibus circūiacentibus pressi, ut animaduerso præsentis rerum successu & candore, dexteram Dei agnoscerent ac prædicarent. Quod enim eam felici tatem contulerit dextera Dei, per id admonet, quod uersu 14. dicit: Cum dispergeret omnipo tens reges in ea (terra uidelicet Cenaar) uinea erat uelut Zalmon, id est, prospera & iucunda. Vt enim terra propter inhabitantium calamitates, trists ac tenebrosa dicitur: ita propter il lorum successum ac felicitatem, rectè niuis instar candida uocatur. Volunt autem montis Zal mon mentionem ob id fieri, quod ille præ alijs eius terræ montibus niue candere soleat. Sunt qui illud זלמן exponunt, in obscuritate, uel in caligine. Nec malè proposito quadrat hæc le ctio: ut intelligamus eam terram antea obscuram, tum factam esse niueam & candidam, cum reges in ea dispergeret Deus. Loci huius usus est, ut qui in rerum prosperitate sunt, non obli uiscantur caliginis & miseriæ, in qua olim fuerunt: ut simul opus dextræ Dei agnoscant, & grati sint. Qui uerò adhuc fuliginosi sunt & afflicti, non desperent, sed opem illius implo rent, qui potest ex atris & fuliginosis splendidos & illustres reddere, dicantq; cum Iob, Post tenebras spero lucem.

DE REGNO CHRISTI.

Licet regnum Christi regnum sit pacis, quantum Deum attinet & nos, deinde & nos qui Christi sumus, inuicem pacifici simus, & unanimes in spiritu & ueritate Christi, & charitate non ficta: nihilo tamen minus ista belli materia, de qua Propheta hic canit, ad nos quoq; suo modo, hoc est spiritaliter pertinet, donec per solitudinem hanc ad terram promissam, duce Christo tendimus. Nam in ista migratione multorum hostiū, mundi, carnis, & malorum spiri tuum, bellum sustinemus, qui ingressum nobis promissæ terræ intercludere conantur. Vnde & Apostolus nos spiritale quoq; armatura uelut milites Christi, ad hoc bellum, Ephes. 6. com munit. Videamus igitur quid præsens locus in hac nobis materia consolationis adferat. Pri mū, quod dicit Dominus dedit sermonem, dedit renunciatrices, &c. admonet nos, ut in signes illas uictorias, contra mundi huius principem, per Christum nobis partas, ad animum reuocemus: & sermonem ac Euangelistas illos, uictoriam annunciantes, ac pacem prædi cantes, pro insigni Dei munere agnoscamus ac prædicemus. An non sermonem dedit, ubi Euangelium regni in orbem euulgandum emisit? An non dedit חַבְשִׁיטָה Euangelistas, ubi pacis & uictoriæ contra satanam per Christum acquisitæ nuncios dedit? Extollamus itaque & nos hanc Dei beneficentiam in regno Christi, dicamusq; cum Propheta, Dominus dedit hunc sermonem, Dominus dedit euangelizantes pacem: & cum Paulo, Quam speciosi pedes

Omnis uictoria à Deo est.

Ver. 12.

Hoc uictoriæ genus pollicitus est populo suo, si in uijs ipsius ambulēt.

Deut. 28.

Ver. 13. 14.

Ita federat Israelitæ fuliginosi inter fornaces, quibus cogeantur durato luto late res coquere.

Exod. 1. 5.

De hoc monte est Iudicum 9.

Rom. 10.

- 2 euangelizantium pacem, annunciantium bona? Deinde quod dicit, Magnae uirtutis (hoc est, qui magnam Dei uirtute contra hostes declarata annuncient) multo uerius ad regnum Christi & sermonem illius pertinet. Nam in Christo declarata est uirtus Dei multo praeclarius, quam in percussione principum Cnaanitarum. De hac uirtute uide Ephes. 1. ubi Apostolus scribit se obnixè ad Deum orare, ut supereminens uirtutis huius magnitudo in Christo ostensa agnoscatur. Est autem illa nobis bifariam expendenda. Primum, quomodo per Christum mortuū deuicta mors est, & potestas inferorum, fortis armatus, captus & spoliatus, & captiuitas abducta, regnoq; Dei restituta. Deinde, quomodo in praedicatione Euangelij in toto terrarum orbe, cum ad salutem credentium, tum ad destructionem impiarum superstitionum & opinionum, contra tantam potentiam huius mundi uim ac saeuitiam ueritatis propagatione demonstrata est. Et huc non malè quadrat, si legamus, Dedit renunciantes cum magna uirtute. Tertiò, quoniam adhuc cum reliquijs hostium bellum gerimus, obseruandum & hoc est, quod dicit, Reges exercituum ante faciem Dei fugisse. Hoc pollicitus est Deus populo suo, modo in fide ipsius perstent. Erit & in nobis spiritualiter uerum. Habemus propugnatorem Christum, cui si adhærebimus firma fide, tanta nos uirtute munitos reddit, ut cogatur ante faciem nostram pessimus hostis fugere. Vnde & Iacobus dicit capite 4. Resistite diabolo, & fugiet à uobis. Quartò. An non & hoc in regno Christi completur, quod turba domestica & imbellis dicitur diuississe hostium spolia? An non ecclesia primum ex Iudæis, deinde ex gentibus collecta, modica & imbellis turba, spolia sathanæ abstulit, & inter se ad gloriam & usum regni Christi diuisit, cum non solum innumeros illi mortales, etiam truculenta arma & milites abstulit, & in gremium suum acquisiuit: sed & omnes illius machinas, omnem substantiam, cum quibus antea regno Christi uim inferre tentabat, inter se diuissit, potentiam, honores, eruditionem, opulentiam, & quicquid huius generis ad dona quidem Dei, sed à principe huius mundi in suum regnum auersa pertinet. Quintò. Nec 13. & 14. uersus mysterio carent. Nam & ipsi in regno Christi adimplentur, ubi resoluta seruitute satanæ & peccati, qui antea peccatorum ueluti fuligine atri erant, in columbinū candorē mutantur, splendidi & illustres: hoc est, uerè felices, in hac uita ueritatis luce, in futura sempiterna illa uita & felicitate beati, ubi iusti fulgebunt sicut sol.

Matth. 13.

15 Mons Dei, mons Basan: montana excelsa, mons Basan.

16 Quare resultabatis montes excelsi? Hic mons Deo placet, ut habitet in eo, certe Dominus sedebit in sempiternum.

17 Equitatus Dei mille myriades angelorum: Dñs cum illis in Sinai, in sancto.

18 Ascendisti in altum, coepisti captiuitatem: accepisti dona inter homines etiā rebelles, ad habitandum, Domine Deus.

LECTIO.

Ver. 15. Mons Dei.) Græc. & Vulg. lati. sic: Mons Dei, mons pinguis: mons coagulatus, mons pinguis. Hieron. Mons excelsus, mons pinguis. Iustini. Mons excelsus, mons Bashan. Pagn. Mons Dei est, ut mons Bashan: mons excelsus, ut mons Bashan.

Ver. 16.

Quare resultabatis.) Græca & Vulgata latina, Vt quid suspicamini montes coagulatos, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem. Hieronymus: Quare contenditis montes excelsi aduersus montem, quem dilexit Deus, ut habitaret in eo, &c. Iustinus: Quare insultastis montes coagulorum aduersus montem, quem dilexit Deus, &c. Felix, Cur exilietis montes excelsi? illum montem dilexit Deus. Pagninus: Vt quid saltabitis montes excelsi, &c.

Ver. 17.

Equitatus Dei.) Græca & Vulgata latina, Currus Dei decem millibus multiplex millia tantum. Hieron. Currus Dei innumerabilis millia abundantum. Pagnin. Currus Dei uiginti millia, millia angelorum. Felix: Currus Dei centena millia, duo millia angelorum. Camp. Equitatus Dei centenorum est millium, &c.

Ver. 18.

Accepisti dona inter homines, etiam rebelles.) Græc. sic: καὶ γὰρ ἀπειθήντων ἡ παρασπονδία, καὶ οἱ διὰ τὸν νότον. Vulgata latina, Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum. Hieron. Insuper & non credentes, &c. Felix, Insuper etiam rebelles, ut inhabitet Iha Deus. Iust. Et insuper celesti cohabitare Deo Deo. Pagn. Et etiam rebelles, ut inhabitarent Dominum Deum. Camp. sic: Quin & rebelles plurimos, & Dei penitus ignaros, in gratiam recepisti: ut uerè dici nunc possit, habitare inter homines te seruatore Deum.

EXPLA-

NATIO.

Commendat his uersibus primum Dei gratiam, qua montem Sion ad habitandum sibi uelut in medio populi sui delegerat. Deinde simul & uirtutem maiestatis ipsius celebrat, qua instar potentissimi regis, cum infinito angelorum exercitu populum captiuū liberauerat ex Ægypto: & ut olim ad montē Sinai, fœderis ineundi gratia, ita ad hunc montē Sion deduxerat.

Ver. 15.

Mons Dei, mons Basan.) Versus hic exponitur bifariā. Primum, ut de monte Dei, Sion uidelicet, prædicetur, quod sit mons Basan, id est pinguis. Sic suprā psal. 22. tauri Basan, pro pinguibus ac ferocibus tauris ponitur, eo quod ea regio tales alat: deinde sit & mons excelsus. Altero modo, ut non mons Basan & montana excelsa de monte Dei, sed mons Dei prædicetur de monte

A monte Basan, item montana excelsa. Intelligendum autem est per montis dictionem, regnū. Prior sensus non placet. Non enim uidetur Propheta montem Zion ab eo commendare, quod pari sit cum monte Basan pinguedine & sublimitate: sed magis ab eo, quod elegerit illū Deus ad habitaculum sibi. Omnino extollit montem Sion super montem Basan. Proinde malo posteriorē sensum, ut intelligamus montem Basan, tanquam sublimem, more scripturę uocari montem Dei. Solent enim montes, ciuitates & arbores grandes, mōtes, urbes & arbores Dei uocari. Per sublimitatem montis Basan, id est potentiam & robur regni Basan, instituit commendationem montis Zijon, cuius gratia regnum illud Basan, regnum Gigantēum, cum introduceret Deus populum suum in terram Cēnaan, diuina uirtute dissipatum est: qua de re legimus Deut. 3. Vrbes regni huius fuisse scribuntur sexaginta, magnę, & sublimibus muris communitę, oppida uerō innumera. Ad memoriam itaq; uictoriam Israelis contra Og regem Basan populo suo Propheta reuocat. Erat enim illa insignis, contra regem Gigantem, & regnum illius robustissimum. Deinde, ut Deut. 2. legimus, istis uictorijs contra Seon & Og reges Amorreorum cępit Deus terrorem immittere cunctis terrę Cēnaan habitatoribus & circumiacentibus regnis. Ut expendere igitur quanta uirtute Deus Israelē olim in eam terram collocarit, & regnum sibi in illa constituerit, rectē regnis subuersis tribuit robur, sublimitatem & potentiam, uocans ea montes excelsos. Et huc facit insultatio uers. 16. cum dicit, Quare resultabatis montes excelsi? Q. d. Quām insaniebatis regna sublimia & robusta, resultando exercitui Dei uiuentis? Elegit sibi Dominus montem istum, uidelicet Zijon, ut habitaret in eo. Habitat in eo, & ut ut restiteritis, & etiamnum infensa sitis, habitabit in illo, quod nūquam poteritis impedire, in sempiternum. Non est absurdum, ut in pręsenti legamus, Quare resultatis montes excelsi? uel ut quidam habent, Quare inuidetis montes excelsi. legimus enim, mox atq; in regem esset unctus Dauid, & sedem regni moliretur in monte Zijon, finitimos hostes bella aduersus illum mouisse, quos & auxilio Dei prostrauit, & statim arcam Dei cum honore in suam ciuitatem collocare conatus est. Q. d. Quid frustra conamini montem hunc nostrum deturbare o montes excelsi? Nihil efficietis. Domino siquidem placet, ut in illo habitet. Is cępit, & perficiet quoq;: nec poteritis impedire, quo minus in sempiternū habitet hic in medio populi sui. Vers. 17. respicit ad maiestatem dei, quę declarata est in monte Sinai: in quem, ut legem daret populo suo, & fœdus cū illo iniret, terroremq; sui illi immitteret, cęlitus cum magna maiestate & summo terrore descendisse scribitur. Describit autem maiestatem eam Dei per imaginem regis potētissimi, qui cum infinito equitatu bella gerat contra hostes, & suos tueatur. Potentiam suam solebant reges in multitudine equitatus ostentare. Ideo dat & Deo copiosissimū equitātū, רבבות אל פי שוואן, id est, bis mille angelorū myriades, numerum finitum pro infinito. Cum isto, inquit, exercitu angelorum omnium innumeratissimo descendit Dominus in montē Sinai, in sanctitate, id est, diuina magnificentia: uel in sanctum, ut ad montē referas, quē sanctū uocet propter diuinā maiestatem, in ipso declaratā. Versu 18. apostrophēn habet ad Deū ipsum. Ascendisti, inquit, in altū, id est, potentiā tuā magnificē exeruisti: cūq; suumma gloria ostendisti hostib. tuis, quod sis uerus & solus Deus. Quando? Quādo captiuam duxisti captiuitatē. Hoc est, quando de hostib. tuis deuictis ac prostratis triumphasti, & populū tuum captiuū ē manib. omnium inimicorum ipsorū eripuisti. Tanta uerō erat illa potentię Dei uis & maiestas, quę crebris uictorijs cōtra hostes finitimos sub Dauide declarabatur, ut passim rei ad structurā domus Dei munera, etiā ab illis qui antea rebelles fuerant, mitterentur. de quo uidetur intelligendū, quod subiūgit, Accepisti dona כבוד, id est, inter homines, etiā rebelles, ad habitandū Domine Deus. Quid si, ut obscurus est hic uersus, respiciat Propheta ad exaltationē Dei, quę facta est in Ægypto, ubi eos qui populū Israelis diu captiuū detinuerāt, ita adflixit, pressit ac tandē deuicit, ut coacti sint manus dare, & Israelē cū auro, argēto, & uestib. ueluti muneribus honorarijs bene onustū non solū liberē, sed ita dimittere, ut coegerint eū abire, nec passim sint ultrā in terra consistere. ut illud, ראת סוררים לשכך, idē sit, atq; a detrectantibus etiam cohabitationem, scilicet Israelis. Nec absurdum est dicere, quod a Deo sint accepta munera, quę iubente Deo accepta sunt ab Israele. Quod si istarum expositio nulla placet, quemadmodū & mihi, ut ingenuē fatear, neutra satisfacit, maximē propter auctoritatem Apostoli, qui hunc uersum Eph. 4. ita citat, ut pro eo quod in Ebręo est לקחה accepisti, ipse posuerit, dedisti: nō uideo commodiorem sensum, quām ut intelligamus, loqui Prophetam non de donis quę Deus ab hominibus acceperit, sed quę ipse populo suo ab hostibus liberato contulerit. Non est autem insolens, ut accipere munera ponatur in scripturis pro dare munera. Ut Gen. 32. uersu 14. de Iacobo, ויקח מנחה לעשיו, Et accepit munus Esau fratri suo: quod uidelicet fratri suo mitteret. Et ca. 43. de filiis Iacob ויקחו האנשים מנחות, Et acceperunt uiri munera, quę scilicet deferrent fratri Ioseph in Ægyptum. Item Hoseę 14. שובו אל ירחו ראמור אליר כל השא עין וקה טוב ושל מנה פרים שפתינו, id est, Conuertimini ad Dominum, & dicite ad illum: Omnē aufer iniquitatem, & accipe bonū, & reddemus uirtutes laborū nostrorum. Hic illud וקה טוב, & accipe bonū, nihil aliud esse uidetur, q̄ & re-

Sic Niniue ciuitas Dei uocatur, etiam ubi erat pessima.

Vers. 16.

Vers. 17.

Vers. 18.

בעבורך
uide 1. Sam. 3.
uersu. 13. Vel
לשכון ad
habitandū re=
ferri ad hoc po
test, quod etiā
סוררים re=
bellibus dedit,
ut habitaret in
eo monte, quē
elegit sibi ad
habitandum.

sume beneficentiā, quā nobis impertias, bene fac nobis: ut & German. interpres reddidit, Vnde C
thū vns guts. Ita & hoc loco, לקחה מהנה, Accepisti dona, rectē per Apostolū redditū est, Dedi
sti dona. Quæ uerò illa donā Dei Israeli secundū literā data sint, nō exprimitur quidem: uerū
quid opus est quærere, cum fuerint innumera? Si uerò ipsa uerba quæ sequuntur expendi
mus, ubi dicit: Accepisti dona לשובך יי אלהים סוררים באדם יאח, id est, propter homines,
etiam rebelles, ad habitandum Domine Deus: loco donorum uidebitur positum, quod in Il
raele Deus etiam immorigero ac recalcitrante habitare uoluit. Et quoniam ista exaltatio dei,
captiuitatis captiuatio, donorum tantorum exhibitio, quocunq; istorum sensu intelligamus,
singularem respiciebant diuinæ maiestatis potentiam, adiecit יי אלהים, Domine Deus.

DE REGNO CHRISTI.

Montē Sion typum gessisse regni Christi, deinde & primordia illius cœpisse Ierosolymis,
cū propheticis, tum apostolicis literis manifestatur. Vnde & psal. 2. legimus: Ego unxi regē
meum, super Sion montem sanctum meum. & Esa. 2. Et erit in nouissimis diebus præparatus
mons domus Domini, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes, & ibūt po
puli multi, ac dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, &c.
Quia de Sion exhibit lex, & uerbū Domini de Ierusalem Item Gal. 4. scribitur cœlestis Ierusa
lem esse mater nostra. Et Ebr. 12. legimus: Accessistis ad montē Sion, & ad ciuitatē Dei uiuen
tis, Ierusalem cœlestem, &c. Cum ergo hic locus ad literā, montem Sion regni Chrysti typum
& originem cōmendat, uidendum est quid in his uersib. ad regnū Christi pertineat. Primum,
quod insultat huius mundi potentib. & eleuatis præferens illis montē Sion, & opprobrians,
quod frustra illi oblectetur, præstantiā nobis cōmēdat regni Christi. Si enim hoc præcessit in
typo, quanto magis uerū est in ipsa ueritate: unde & psal. 2. insultatur eodē modo potentibus
huius mūdi, qui se regno Christi opponunt: & Christo tribuitur, quod sit illos in uirga ferrea
cōtriturus, & sicut uas figuli confracturus. Et Esa. 2. prædicatur, quod regnū Christi sit eleuan
dū super omnes colles, id est, mundi huius regna. Et Dan. 2. Regnū Christi comparatur monti
magno, qui repleat totā terrā, & cōminuat omnia regna mundi. Secundū pertinet & hoc ad
præstantiam regni Christi, cœlestis Ierusalem, quod dicit, Hunc montē dilexit Deus, ut habi
tet in eo, certē Dominus habitabit in sempiternū: uelut ratio est cur excellat hoc regnū Chri
sti omnia alia regna totius mundi. Quoniā habitat in illo Deus, sedem suā in illo fixit, idēq; in
sempiternum. quod certē de typo illius, terrena Ierusalem dici non potest. Ista habitatio Dei
est in cordib. credentiū, uide 1. Cor. 6. & 2. Cor. 6. Tertiū quod tam numerosum angelorū exer
citum, pro montis Sion custodia Deo tribuit, & ipsum uerius ad regnum Christi pertinet, in
quo angeli sunt spiritus administratorij, ad ministeriū missi propter electos, in quo angeli ele
ctorū uident faciē patris cœlestis, in quo ad multorū millium angelorū frequentiam cōiungi
mur. Ebr. 12. in quo angeli colligent electos à quatuor uentis. Quartū quod in liberatione Il
raelis exaltatū dicit Deū, captiuitatē cœpisse, dona hominib. accepisse ac dedisse, etiā rebellib.
quomodo ad regnū Christi pertineat, uidere est Eph. 4. Hic deus, qui in Christo erat, mundū
sibi recōcilians, in Christo primum ad inferiores partes descendit, deinde captiuā duxit capti
uitatē, non solū liberatis nobis ē captiuitate satanæ, peccati & mortis, sed & de ipsis istis, uelu
ti tyrannis triumphās, super oēs cœlos ascendit, ut adimpleret omnia: & cœlestis gratiæ dona
hominibus demisit, per spiritū sanctū replens illorū corda, & ecclesiæ suę donās alios prophe
tas, alios apostolos, alios doctores, &c. Hic & rebelles, qui aliqñ gratiæ regni Christi relucta
bantur, cœlestib. donis ad fidē Christi cōuersi potiti sunt, & potiētur ad finē usq; mundi. Nam
semp̄ tales erunt, qui cum ad tempus gratiæ Dei repugnent, tandem illam apprehendant.

- 19 Benedictus Dñs, per singulos dies portat nos, Deus salutis nostræ. Selah.
20 Deus ille noster saluationum Deus est, Dei Domini sunt mortis egressus.
21 Certē Deus cruore tinxit caput inimicorum suorum, uerticem capillatum,
progredientem in deliciis suis.
22 Dixit Dominus, e Basan reducam, reducam e profundis maris.
23 Quapropter rubefacies pedes tuos in sanguine inimicorum, linguam canū
tuorum, ex ipso.

LECTIO. Portat nos, Deus.) Græc. & uulg. Lat. Prosperum iter faciet nobis. Iustinianus, Ornabit nos.
Ver. 19. Pagninus, Afferet nobis. Felix, Aggrauabit nos.
Ver. 21. Cruore tinxit.) Græc. uulg. Lat. Hieronymus, & Iustinianus, legunt. Confringet. Pagninus,
Transfiget. Felix, Vulnerabit.

Ver. 22. E profundis maris.) Vulgata Latina, In profundum maris.

Ver. 23. Quapropter rubefacies.) Versus hic in Ebræo sic legitur, כרם לשון כל בך, id est, Vt rubefacias pedes tuos in sanguine, linguam canū tuorum ex inimi
cis ab ipso, uidelicet sanguine. Vt obscuritatem tollerem, reddidi, In sanguine inimicorum, lin
guam canum tuorum, ex ipso. Hier. uertit, A temetipso. Pagninus, Ex inimicis ipsis. Camp. sic.
Et lin.

Et lingua canum tuorum sanguinem inimicorum lambat ab ipso Domino interfectorum.

Etiam his 5. uers. nihil aliud canit, quàm quòd Deus populum suum seruet, & hostes perdat. Versu 19. prorumpit in laudem Dei per exclamationem, dicens: Benedictus dominus, id est, laudetur Dominus. Ita solent animi piorum, interea dum beneficia & mirabilia Dei, uel meditando, uel psallendo uersant & commemorant, in laudem Dei exclamando proflilere, ac dicere יהוה ברוך, quod nos Germani exprimimus cum dicimus, Gelobt sey der Herr. Breue quidem *עברית*, sed cuius affectus tam abest ut uerbis explicetur, ut quo plura illius enucleare coneris, hoc minus illius consequare plenitudinem, profunditatem & amplitudinem. cupit enim huiusmodi pectus omnium ora cœlestium, terrestrium & infernorum in laudē Dei resolui, & tamen etiam si hoc fiat, ne sic quidem satis putat esse ad dignam Deo laudem celebrandam.

Per singulos dies portat nos, Deus salutis nostræ. Ebræus habet, יום יומי. Quod quidā uertunt, Quotidie cumulat nobis Deus salutem nostram: Græci habent *κατασπασμα*, id est, pro sperum iter nobis dabit. Verum *עמס* aliquando quidem onerare significat, sed hic idē est atq; portat. Sic Esaiæ 49. uersu tertio legimus: Audite, ad me domus Iacob, & omnes reliquæ domus Israel, בטרם חעמרם בטרם, qui portamini à meo utero. Ita & hoc uers. David Deo tribuit, quòd populum suū quotidie portet. Sic & Hier. reddidit, Portabit nos. Non satis habet Propheta, quòd suprà Deū facit ductorem ac præcessorem populi sui, nisi illi det, quòd portet etiam suos, uelut mater infantem suum. Ea scilicet est custodia, protectio, & prouidentia Dei erga populum suū, ut quāuis iucundis similitudinibus delineari nequeat, nedum ad plenū ex primi. Elogio illo, Deus salutis nostræ, usus est & suprà Psal. 65. uersu 5. ubi de eo diximus.

Deus ille noster saluationū Deus est. Repetit quòd dixit, Deus salutis nostræ: sed repetit nō sine affectu amplificandi istam felicitatem, de qua meritò gloriatur pij, quòd scilicet Deus ipso- rum, saluationum deus est. Ardorem animi ostendit, primū quòd dictionem dei cum specificatione, qua omnes omnium gentium deos rejicit, repetit, dicens: Deus ille noster. Deinde, quòd dicit, Saluationum deus est. Non frustra pluraliter loquitur. Voluit enim ita admonere, quòd non uno tantum nomine suis deus salutis deus sit, sed prorsus innumeris modis. Et præterea admonet etiam, quòd non semel atq; iterum, sed sæpenumero populum suum saluauerit, ut & hac ratione illis possit dici saluationum deus.

Dei Domini sunt mortis egressus. Hæc particula bifariam exponitur. Quidam intelligunt de eo, quòd iudicia mortis, quibus perduntur impij, egrediantur ex deo. Hoc est, quòd deus sumat uindictam de hostibus suis. Ita exponit Kimhi apud Hebræos. Et iste sensus præludit mox sequentibus. Alij exponunt de eo, quòd suos deus educat ex morte. Vtrumque uerum est, & solius dei, qui dominus est uitæ ac necis, qui de seipso dicit, Ego occido, & uiuere facio. Et hic quoque Propheta non est præter rationem plurali numero usus, dicens: Dei Domini sunt mortis egressus. Siue enim de liberatione piorum è morte, siue de mortis sententia & impiorum uindicta intelligamus, uaria sunt mortis genera, quibus uindictam sumit de reprobis: & rursus innumeræ sunt rationes, quibus suos à morte educit. Si de liberatione ex mortis periculis exponenda est hæc particula, habet expositionem præcedentis, qua Deus saluationum Deus dicitur. Salus enim propriè nihil aliud est, quàm conseruatio à morte, siue corporali siue spiritali. Et hæc est ratio quare uirtus saluandi nemini potest competere, nisi uero Deo, qui potestatem habet uitæ ac mortis. Habent itaque in Deo quòd timeant reprobi, uidelicet quòd ab illo iudicia mortis egrediantur, quibus etiam potentissimi reges subiiciuntur. Habent in Deo, quòd amplectantur ac prædicent pij, quòd illius uirtute & beneficio ex ipsis mortis claustris eripi queant. Hinc suprà Psalmo 23. dicit: Si ambulauero in ualle mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum es. Ita & Paulus 1. Cor. 10. Deo adscribit, quòd exitum facere possit ex tribulationibus.

Certe Deus cruore tingit capita inimicorum suorum, uertices capillorum progredientium in delictis suis. Cruentitas strages hostium Dei his uersibus canit, quas uel fecerit olim, uel facturus sit Deus ille populi sui seruator. Possunt enim ista legi tam in futuro, quàm in præterito, Tinget uel tinxit. Mihi placet ut in præsentī legatur, ut intelligamus Deo dari, quòd ubi uidetur maturum, capita inimicorum suorum etiam ipsos capillorum uertices in proprio ipsorum sanguine prostratos ac uulneratos tingere & cruentare possit, & cruentet etiam. Exprimat autē per cruentationem ac tinctionem capitum omnimodam subuersionem, extinctionem & proculcationem impiorum. Quod uero populo Dei uersu 23. dat, quòd pedes suos uel rubefecerit, uel rubefactus sit in sanguine impiorum, quasi ob oculos uictoriā ipsius talem ponit, qua cadentibus impijs Dei hostibus, & capita sua sanguine proprio tingentibus, ipse erectus & saluus, pedes in sanguine hostium tinxerit. Et hoc quoq; cruentæ & omnimodæ uictoriæ, quæ ex ultione Dei proueniat, notam habet, quòd addit de lingua canum ex sanguine hostium rubricata. Canibus siquidem, si quid residuæ uirtutis fuisset de hostibus cæsis, haudquaquā permissum fuisset, ut cæsorū sanguinē lambere permitterent. Singularem ultionē habet & iræ diuinæ notam, ubi canibus occisorum sanguinem lambere permittitur. Vide historiam Achab & Iezabel.

Ver. 19.

Vers. 20.

Potest hæc particula etiā sic legi: Deus ille, qui nobis deus est saluationū. Vel, Deus nobis est Deus saluationū.

Mille modis miseros mors rapit una homines.

Vers. 21. 22. 23.

3. Reg. 21.

Dixit

Ver. 2. Dixit Dominus, & Basan reducam.) Insetus est, propter historias ueteres, quæ sint exempla uirtutis huius diuinæ, qua postratis hostibus liberatur populus Dei. Olim, inquit, dixit Dominus, id est, ita decreuit: reducam populum meum de Basan, uidelicet cæsis tati regni, tantarumque uirium hostibus uictorem reducam illum saluum de profundis maris, superato Pharaone cum omni suo exercitu. Sed ubi legimus Dominum hoc dixisse? E re gesta colligit consilium ac decreta Dei. Dat istas uictorias uerbo Dei, ut affuescat populus omni in Deum collocata fiducia, minus formidare impiorum hostium Dei, ut robustorum, & in delictis suis prospera gentium, minas & insultus. Huc scilicet facit quod dicit: Certè Deus ipse est, qui hostium suorum capita & capillorum uertices, ut ut prosperè uideantur in delictis suis progredi, uulnera, ad terram prosternere, cruentare, ac prorsus proterere nouit, in quorum sanguine uos & pedes uestros, & linguas canum uestrorum colorabit. Videmus hic cui sint adscribende cruentæ illæ strages, quibus humanus sanguis ad gloriam Dei creatus, cum tanta ignominia & crudelitate funditur, proteritur, & canibus labendus permittitur. Certè Deus, inquit, hoc facit. Hodie paucissimi sunt, qui ultionem Dei agnoscant. maxima pars uictoribus eam uirtutem adscribit, & ipsi plerumque uictores fortunæ illam tribuunt. Deinde notandum est, quod non dicit, Hostium tuorum uel nostrorum: sed, Hostium suorum capita cruentat Deus. Vocat autem impios, nominis Dei osiores & contemptores, hostes Dei: & fiduciam facit populo Dei, quod ultionem diuinam euadere nequeant, quotquot nominis Dei gratia in ipsum insurgat, eo quod non tam sint ipsius quam Dei hostes. Tertio nec hoc prætergrediendum est, quod dicit, Progredientium in delictis suis. Non dicit, Delinquentium: sed, Progredientium & persequentium in delictis suis: id est, qui successu quodam inter delinquendum potiuntur, nec de resipiscencia unquam cogitant. Quir huius meminit? Hanc ueluti notam omnium certissimam ponit ultionis diuinæ, appropierantis, & iam iam adfuturæ, qua hostes Dei perdantur. Nec potest ulla alia certior dari. De filiis Eli legimus, quod noluerint obedire uoci patris, arguentis eos, & ad resipiscenciam uocantis, sed in delictis suis perrexerint, propterea quod uoluerit eos occidere Dominus: quod & breui postea factum est. Non autem consolationis tantum gratia populo Dei proponitur hæc particula, sed & cautionis. Quid enim nobis expectandum est, in delictis absque ulla resipiscencia progredientibus, si ista pertinacia in malo certum adfert hostibus nominis Dei exitium? Si tanti est coram Deo, quod ij qui cognitione ac fœdere Dei destituuntur, in malo pergunt, quanti quæso censendum est, si id faciat populus Dei?

- 24 Vident ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei regis mei in sanctuario.
 25 Præcedunt cantores, deinde canentes organis, in medio sunt puellæ tympanistræ.
 26 In cœtibus benedicunt Deum, Dominum (benedicunt) qui de fonte sunt Israel.
 27 Hic Benjamin paruulus, dominator eorum, hic principes Iudah, purpurati eorum: hic principes Zebulon, hic principes Nephthali.
 28 Mandauit Deus tuus robur tuum: corrobora Deus quod ipse nobis patrauit.
 29 Propter templum tuum, ad Ierusalem, adferent tibi reges munera.
 30 Increpa turbam læceatam, cœtum fortium, inter uirtulos populorum supplicem in tributis argenti reddendis, dissipa populos, qui bella uolunt.
 31 Veniēt optimates ex Aegypto, Aethiopia accelerabit manus suas ad Deum.
 32 Regna terræ cantate Deo, psallite Domino. Selah.
 33 Qui inequitat cœlis illis antiquis, ecce dat in uoce sua uocem robustam.
 34 Date robur Deo, super Israele splendor eius, & robur eius in nubibus.
 35 Terribilis Deus de sanctuarijs tuis: Deus Israel, ipse dant robur & uires populo. Benedictus sit Deus.

LECTIO. Præcedunt cantores.) Ebr. שרים, per iamin: quod significat cantores. Græc. uulg. Lat. & Iustin. legunt שרים per simol, & reddunt, principes. Reliqui uertunt cantores.
Ver. 25. Dominator eorum.) Ebr. שרים, id est, dominaris illis: à uerbo שר, quod dominari significat. Græc. & uulg. Lat. reddiderunt, In mentis excessu à uerbo שר, quod obsoporari significat. Hier. legit, Continens eos. Sic & Iustin. Illud, Purpurati eorum, Græc. & uulg. Lat. legunt, Duces eorum. Fel. Interitus eorum. Hier. In purpura sua. Iustinian. Lapis eorum. & annotat, esse cordis roborationem contra pericula.
Ver. 28. Mandauit Deus tuus robur tuum.) Sic est in Ebr. uulg. Lat. legit, Manda Deus uirtuti tuæ. Hier. sic, Præcepit Deus tuus de fortitudine tua.
Ver. 29. Propter templum tuum.) Ebr. מִבֵּיתְךָ: id est, De regia tua. Græc. & uulg. Latin. A templo tuo. Hier. De templo tuo. Pagninus, In templo tuo. Sic & Arabs. Felix, Ex templo tuo.

Incepit

Increpa turbam lanceatam.) Ebr. *חיה קנה*. Vocē *חיה* exponunt aliqui & hic & 2. Reg. 13. pro turba & statione, seu castro. Et *קנה* quandoq; arundinem lanceæ significat. Græc. & uulg. Lat. In crepa feras arundinis. Hier. Increpa bestiam calami. Sic & Iustin. Felix, Dissipa feram arundinis. Pag. Disperde congregationem calami. Camp. Vasta multitudinem lancea armatā. Illud, Supplicē in tributis argenti reddendis, Ebr. est *בסך ברצי בהרפס*. Græc. & uulg. Lat. sic, Ut excludant eos qui probati sunt argento. Hier. Calcitrantium contra rotas argenteas. Sic & Iust. Pag. Cū incisionibus argenteis. Felix, Optantem numerationes argenti. Aliqui sic: Gētes calcitrantes, atq; opibus deditas. Camp. Donec facti supplices tributa tibi pendere cupiant.

Cœlis illis antiquis.) Ebr. *שמי קדם*. Græc. & uulg. Latina, Super cœlum cœli ad orientem. Hieronymus, Super cœlum cœli à principio. Sic & Iustinianus. Felix, Cœlis cœlorū ab initio. Pagninus, In cœlis cœlorum ab oriente.

De sanctuarijs suis.) Ebr. *במקדשיו*. Ferē omnes legunt in tertia persona, In sanctuario suo, in sanctuarijs suis, in sanctis suis: deimptis, Arabico interprete, & Camp. & Chald. Et fieri potest ut scriptum aliquando fuerit *במקדשי*, & uau postea in caph finale mutatum sit.

Duodecim isti postremi uersus in tres partes possunt diuidi, ita ut prima habeat uersus 24. 25. 26. 27. Altera 28. 29. 30. 31. Tertia quatuor reliquos ultimos.

P A R S P R I M A.

Hac celebrat pompam illam, qua arcā Domini cum ingenti totius Israelis tripudio Ierosolymam deducere instituerat. De hac loquitur, cum uersu 24. dicit. Vidēt ingressus tuos Deus, &c. Quod autem ingressus Dei uocat arcæ deductionem, nihil habet insolentiæ, si quæ supra psalmi initio cōmemorata sunt, ad memoriā reuocentur. Huc pertinet & particula illa *בקרש*, id est, in sancto, quæ de sanctuario intelligenda est & propitiatorio. Nec frustra est, quod rem hanc tanti facit. Iam diu nanq; non uiderat Israel consimilem arcæ Dei deductionem, ut quæ hætenus sub regno Saulis fuerat neglecta. Et credibile est summam fuisse, præsertim piorum, in hac pompa lætitiā, ut qui intellexerint ex hoc argumento singulārē adesse populo Israeli Dei gratiam. Certē prophetæ pectus ardet, unde & quod cœpit, statim cū emphasi animi gestientis repetit, dicens: Ingressus Dei mei, regis mei.

Versibus 25. 26. 27. ipsam pompā uelut describit, ea recensens quib. solennitas illius, & feruor Israelis declarabatur. Plenius ista leguntur. 1. Par. 13. & 15. Recenset autem non solū cantores, & psalmistas, ac tympanistrias puellas, sed & ipsam populi turbam, quā unā cum principibus tribuū laudis diuinæ participes facit. Cantores, inquit, præcedunt. Isti erant ex Leuitis desumpti, ut canerent, & omnis generis musicis instrumentis publicā lætitiā celebrarent. In horum medio, uel ut quidā exponunt, circuitu, erant puellæ tympanistriæ. Ebræus habet *במקדש*, id est, absconditæ. Nam ita tum educabantur puellæ, ut donec coniugio addicerentur propter secretiorem educationem absconditæ dicerentur. Neq; enim illis permittebatur publicus conspectus, nisi quantum hunc uel necessitas, uel ratio cultus diuini exposcebat. Et sane ad amplificationem celebritatis huius & communis gaudij facit, quod uirginum absconditarum chori adhibebantur, frequentiam populi exprimit uersu 26. cum dicit: In cœtibus benedicunt Dominum: id est, cateruatim ac turmatim laudes Deo concinunt, ut in pompis huiusmodi fieri solet. Et ad laudis huius commendationem & hoc facit, quod per repetitionem addit: Dominum benedicunt, qui de fonte sunt Israel. Quod mihi uidetur de illis esse dictum, qui ueri erant Israelitæ: ad discretionem reproborum, quorum ora & pectora semper sunt ad laudem Dei pigra & inepta. Est autem ista fontis metaphora ad hoc usurpata, ut admoneantur Israelitæ originis suæ, quo simul & auitæ pietatis imitatores euadant. In uersu 27. queri potest, cur quatuor istarum tantum tribuum Benjamin, Iudah, Zabulon & Nephthali recorderetur, cum legantur & reliquæ adfuisse. Mihi uidetur harum certis rationibus præ alijs mentionem facere. Benjamin, quem uocat paruulum, ob id, quod penē esset tempore Iudicū excisus, ut & Saul apud Samuelem tribum hanc omnium minimam esse dicebat, propterea ponit, quod penes hunc primū fuerat regnum Israelis. De illa namq; fuerat Saul. Ideo dicit, Dominator eorum. Id honoris isti tribui defertur propter regnum præteritum. Iudam subtextit, quod is iam haberet regnum. De hac quippe tribu erat ipse Dauid. Zabulon ac Nephthali ob eam rationem loco aliarum ponit, quod istæ tribus, licet essent remotiores, nihilo tamen minus cum tanta multitudine aderant. Vide 1. Par. 12. Terra quippe illarum usq; ad montana Damascena ex uno, & confinia Sidonis ex alio latere protēdebatur. Ita scilicet significare uoluit, nullam ex omni Israele tribum isti arcæ Dominicæ deductioni defuisse.

Vident ingressus tuos.) Solent diu neglecta cum magno animi feruore, ubi reducuntur, excipi. Id uidemus in arca ista Domini esse factum. Quis det, ut & ipsum Dei uerbum, quod tandem nouissimis istis temporibus beneficio Domini singulari reducitur, uelut mysteriorum Dei repositorium & sacrarium & ingressus Christi Dei ac regis nostri, omnium publico gaudio ita excipiat, ut ad cœlestem Ierosolymam cum illo unā cantantes ac laudantes Dominum proficiscamur? Quis det tales principes, tales Leuitas, talem populum?

Dei

OBSER. I.

Dei mei, regis mei.) Notent hoc principes. Rex Dauid in summo honore & gaudio constitutus, corde non eleuatur, sed agnoscit supra se Deum, quem regis loco suspiciat. Ipse rex agnoscit Deum cœlestem regem suum, nimirum omnem illi regni gloriam & honorem adscribēs.

P A R S A L T E R A.

Ista uersibus 28. 29. 30. 31. prophetiam complectitur ita dilatandæ & amplificandæ in Israel gloriæ Dei, ut & extera regna sint potentiam eius agnitura, & munera suppliciter allatura. Prophetiam autem hanc complectitur his uerbis, Adferent tibi reges munera. Item: Venient optimates ex Aegypto, Aethiopia accelerabit manus suas ad Deum. Quod nihil est aliud, quàm, agnoscat Aegyptus & Aethiopia potentiam tuam, teq; uerum Deum uenerabitur. Reges te colent, qui nunc nullam habent numinis tui rationem. Per hoc uerò quod regum & optimatum meminit, non hoc agit, ut indicet potentiam Dei à regibus & optimatibus tantum agnoscendam & colendam, & non ab ipsis quoq; populis, sed ut exprimat tantam fore nominis Dei celebritatem apud alias nationes, ut & ipsi reges & principes capita populorum sint uerâ Dei cognitionem amplexuri, quod tamen plerunq; serò faciunt, atque ita obtenturum publicè nominis Dei gloriam & cultum. Reipsa uidemus religionem tum inualescere in publico, ubi obtinuit apud principes ipsos. Tum enim nemo amplius est, qui ueritati obstat. Futurum ergo prædicit, ut integra regna, Aegyptus quoque & Aethiopia uerum Deum agnoscant & colant.

Cœpit quidem ista prophetia paulatim adimpleri post tēpora Dauidis usque ad tempora Christi: in regno uerò Christi demum uerè adimpleta est, in quo totus orbis ad Deū accessit, & omniū regnorum reges Christo munera detulerunt. Sentiebat spiritu Prophetia iam tum nimis angustum esse, ut in una tantum Israelitarū gente agnosceretur & coleretur Deus ille, cuius potentia cœlū ac terrā moderatur. Atq; ideo ad Christum uox patris est: Parū est, ut sis mihi seruus ad suscitandas trib. Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentiū, ut sis salus mea usq; ad extremū terræ. Hæc dicit Dominus redēptor Israel sanctus eius ad animam contemptam, ad gentē abominatā, ad seruum dominorum: Reges uidebunt, & confurgent principes, & adorabunt propter Dominum, &c.

Esaiæ 49.

Hanc regni Dei per totum orbem terrarum amplificationem diligenter inculcarunt quidē prophetæ: uerū gens Iudæa, ad cuius tamen consolationem ista conscripta sunt, illam nūquam sustinuit agnoscere: imò prohibere quoque conata est, inualescente regno Christi, & obtinente inter gentes.

Mandauit Deus

Prophetiam hanc, quam ad consolandā & corroborandam populi sui fidem piissimus rex isti psalmo inseruit, non simpliciter ac nudè ponit: sed illius ueluti fontem præmittit, uidelicet decretum ac propositum Dei, cum dicit, Mandauit Deus tuus robur tuum: id est, Deus tuus (alloquitur autē ipsum Israel) ita decreuit, ita statuit fieri, ita præcepit, ut regnum tuū firmum sit & corroboretur. Plus dicit, quàm si dixisset, Corroborabit Dominus regnum tuum: cum dicit, Mandauit Deus tuus robur tuum. Non enim possunt ea quæ futura creduntur, certius futura credi, quàm si cognoscatur propositum ac decretum Dei.

Deus tuus.

Et ut fidei illorum seruiat, non simpliciter dicit, Mandauit Deus robur tuum: sed, Mandauit Deus tuus robur tuum. Dei est conseruare & corroborare populū suū. Ideo dicit: Deus tuus o Israel, ita mandauit, ut confirmeris. Sic & 2. Sam. 7. promittitur stabilitum & confirmatio pariter & regno Dauidis, & populo Israeli.

Corroborat
hoc Deus.

Adiungit ad precein, ut affectum quoque cordis sui exprimat, & Israelē simul doceat, summis desiderijs petere & expectare prophetiæ huius ueritatem. Corroborat, inquit, hoc Deus, quod ipse patraisti propter templum tuū & Ierusalem: hoc est, quod dedisti, ut regni sedes & locus sacrarij tui Ierosolymis constituatur, hoc quæso confirmare uelis. Increpa turbam lanceatā, id est, bellicosam: cœtum fortium inter uitulos populorū, id est, capita & principes populorū, contra te & unctū tuum insurgentium: loquere illis in ira tua, ostende illis contra quē peccent: cohibe ac supprime illorum furorem & conatus, fac ut deuieti tributarij reddantur: dissipa populos istos, qui ad bella proni sunt, & cædem populi tui ardent.

Agnoscit primū opus Dei esse, quicquid habebat iste populus, regnū, & qualem cūq; successum. Deinde fiducialiter orat, ut hoc ipsum Deus, quod ipse operatus erat, corroboraret. Orat autem duo: unum, regni sui confirmationem: alterū, hostium suppressionem. Illis dat, quod fortes sint, & belli appetentes. Indicat se nec sufficere ad resistendum illis: nec bellis delectari, sed malle sibi & populo suo pacem. ideoq; contra eos opem Dei implorat, tanquā qui digni sint oppressione, posteaquam uiam pacis ignorent, & bella cupiant.

OBSER. I.

Sensus huius prophetiæ, de amplianda cognitione & gloria regni Dei in populo suo, tangat & nostra pectora, ut & nobis parum sit Euangelij lucē in una tantū gente obtinere: sed credamus futurū potius, ut & reliqua regna, ut nunc aduersa sint, ueritati manus datura.

OBSER. II.

Mandauit Deus tuus robur tuum.) Nostram quoq; fidē ista uerbi, decreti & mandati Dei poten

tia

Act. 5.
tia confirmat, qua fit, ut ipso mandante fiat, etiam quod nondum erat, nedum quod est confirmetur. Huic mandato nulla uis mortalium, ut tyrannica, resistere poterit. Sic Gamaliel dicebat: Si ex Deo est, non potestis resistere. Non sit in nobis robur nostrum, sed in mandato Dei. Est autem robur regni Christi, robur nostrum: potentia ueritatis, potentia nostra. Hac superante, superabimus & nos. Superabit autem, quia robur illi Deus mandauit.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.) Quod orat prophetiae huius successum, documēto nobis est, ut & nos pro amplianda Christi cognitione, quam fide apprehendimus, & futuram speramus, ardentem oremus. Deinde obseruanda est ista precatio in seipsa quid habeat. Habet autem duo. Primum, dat Deo operis ipsius gloriam. Non dicit, quod nos operati sumus, sed quod ipse operatus es in nobis. Deinde seruit precandi fiduciae, ut hoc citius credatur facturus Deus, quod petitur. Quis enim operi suo confirmationem & successum, sicubi illi adesse poterit, denegat? Canit hoc ecclesia in die Pentecostes: sed canit ore hominum, quorum pectora nec agnoscunt opus Dei, nec confirmationem illius in Christo expetunt. Nos canamus & dicamus toto corde: Confirma tu Deus quod in Christo seruatore nostro operatus es.

Increpa turbam lanceatam, disipa populos qui bella uolunt, &c.) Opus habet ista quoque precatione ecclesia Christi nostris temporibus. Et haud parum solatij & spei solidandae in eo proponitur, quod hostibus populi Dei datur robur & animus belli, non pacis appetens: ut hoc firmiter credamus, non perstituros bellicosorum & robustorum conatus contra populum Dei. Parum auxilij à Deo habent, de quibus dici potest, quod bella uelint.

TERTIA PARS.

Hac Propheta psalmum per *de solatij* concludit, ut plerumque solet. Habet autem ista *de solatij* duo membra: unum, quo regna terrae ad laudandum Deum inuitat; alterum, quo Deo gloriam potentiae adscribit, darique iubet. Ad primum pertinet, quod uersu 32. dicit: Regna terrae cantate Deo, psal-
lite Domino. Selah. Vbi primum obseruandum est, quam ardeat in laudem Dei pectus Prophe-
tae, quod uidelicet tot mundi huius regna, quae tum certe ut uerum Deum non agnoscebant, ita Pro-
phetae huius ad laudandum ipsum inuitationem, etiam si illa ad ipsorum uenisset conscientiam, nullo pacto admisissent. Et ipsa apostrophe ad istum ardorem ac sitim gloriae Dei exprimendam facit, qua non dicit, Regna terrae cantent Deo: sed, Canite Deo, ueluti singula coram conueniens & appellans. Verum, quod tum uidebatur ridiculum & impossibile, postea sub regno Christi & possibile & serium factum est, in quo omnium apertissimum effectum abiit. Hinc sunt fortissima illa Augustini argumenta contra Donatistas de regni Christi amplitudine, qua non in Africa solum, sed in uniuersis totius orbis regnis, quod olim prophetae praedixerunt, reipsa praestitum est.

Deinde & hoc notandum est, quod cum totius terrae incolae uocet ad laudem Dei, regna compellat, dicens: Regna terrae cantate Deo. Absque omni dubio infirmæ populi illius fidei seruauit spiritus sanctus. Habet enim nescio quid horroris in se regnorum commemoratio, si sint aduersa. Complectitur enim ea dictio omnem potentiam & gloriam huius seculi. Consulto itaque regnorum dictione utitur Propheta, ut spem faciat suis nihil ualituram contra potentiam Dei, quorumcumque regnorum aduersariorum gloriam: quin tandem non solum cedant gloriae Dei, sed non men quoque illius celebratura sint.

Tertio, nec hoc praetereundum est, quod non dicit, Ululate, uel horrete regna terrae, aut time-
te Deum: sed, Cantate Deo, psallite Domino. Animus Prophetae non nisi eam gloriae Dei amplificati-
onem intuetur, quae ad salutem gentium, non quae ad exitium erat factura. Regno Christi com-
petit uniuersalis omnium ubique regnorum laetitia, quae cantico & psalmis hic exigitur. unde re-
cte adiectum est Selah, ut admoneat nos, quo uniuersalem hanc, propter uniuersalem noui Testa-
menti gratiam, omnium regnorum huius mundi laetitiam diligenter expendamus. Quod autem non dicit, Gaudete regna terrae, sed Cantate Deo, psallite Domino, duorum nos admonet. Vnum, quod gaudium Christianorum exuberare debeat in canticum oris. Ita & Apostolus nos ad cantica & hymnos uocat, Colos. & Ephes. Alterum, quod non satis est gaudere & canere, sed exigitur ut cordis nostri gaudium, canticum Deo, id est, laudem Dei pariat. Sic non solum dicit, Regna terrae cantate: sed addit, Deo & Domino. Quis autem ignorat quid exigatur ad hoc, ut Deo canteamus, de quo alibi diximus?

Ad alterum partis huius tertiae membrum pertinent reliqua, quibus potentiam Dei celebrat, celebrarique ab omnibus terrae regnis postulat, cum dicit: Qui caelis inequitat, caelis illis antiquis, ecce dat in uoce sua uocem robustam. Date robur Deo, super Israele splendor eius robur eius in nubibus. Terribilis Deus de sanctuarijs suis, Deus Israel: ipse dat robur & uires populo, benedictus sit Deus.

His potentiam Dei duplici nomine praedicat. Primo, quatenus illa caelestis, id est, in caelis regnans terribiliter ostenditur. Ad hoc facit, quod dicit Deum caelis inequitare, & uoci suae dare uocem uirtutis, roburque illius esse in nubibus, quae iuxta literam de caeli tempestatibus canit, quibus grauiter & fortiter desuper uox Dei uelut indignabunda mortaliumque maliciam increpans detonat.

Altero, quatenus ea in terris erga populum Israelem declarata & illustrata est. Huc pertinent
T ista,

OBSER. III.

OBSER.

II II.

Vers. 4.

Vers. 32.

Regna terrae.

3

Expende, quae
sit ista cecitas,
quod materiam
canticum regna ter-
rae tātopere hor-
rent, detestantur
& impugnant.

ista, Super Israele splendor eius: id est, potentia & gloria illius maiestas & illustratio, Deus Israel ipse dat robur & uires populo. Prædicat ergo Deum cælo supernè, & terra infernè dominantem, utrobique suam declarare maiestatem. Et ad id referendum est, quod numero plurali dicit, Terribilis Deus de sanctuarijs tuis: intelligens utramque illius sedem, quæ & in cælis & inter populum suum in tabernaculo regnat. Voluit hoc pacto Propheta omnium eorum admonere populum Israël, quæ potentiam Dei cum supernè in cælis, tum infernè in terris, & potissimum ad populi sui defensionem, aduersus impios nominis sui hostes, terribiliter declarant.

Qui cælis inequitat.) Tempestatum uim & terrorem Propheta libenter adducit. Cur id faciat, alibi dictum est, ut psalm. 18. & 29.

Cælis illis antiquis.) Quidam illud מַרְמָר non ad cælos, sed ad æquitatem & ascensum Dei referunt, ut sensus sit: Qui cælis ab initio inequitat. Hoc sensu fortiter percutit alienorum deorum cultores, qui relicto uero illo & antiquo cælorum Domino, recentes sibi ipsi deos elegerunt: qui ut cæli domini non sunt, etiam si cælestibus per insaniam cæci cordis inferantur, ita certè dii non sunt. Verus autem Deus, non est recens Deus, qui nouiter sit exortus, qui cæli dominatum non ab initio tenuerit, sed priscus ille, ante quem nullus unquam fuit.

Ecce dat uoci suæ uocem robustam.) Virtus ista tonitruum psalm. 29. graphicè describitur. Nobis hoc loco obseruandum est, quomodo ista particula in regno Christi habeat. Nam hic certè uox Dei quæ per Euangelij prædicationem in toto terrarum orbe intonuit, uocem habuit uirtutis: non solum quatenus illa in cordibus credentium ad salutem, sed & quatenus aduersum impiorum potentiam & uim sese exeruit, fidei animo perpendendum est, quod uoci Dei robur & uirtutem adscribit. Nam in eo potissimum diuina maiestas declaratur, quod uerbum Dei, uerbum est omnipotentia.

Dat robur Deo.) Quasi dicat, Agnoscite uestram imbecillitatem regna terræ, nolite de uiribus uestris gloriari aduersus Deum, nolite inolescere: sed potius Deo subdi, illique roboris & potentia gloriā adscribere. Necessaria admonitio, quæ nunquam non debeat potentum fastui & temeritati occinī.

Super Israele splendor eius. Item Deus Israel, ipse dat robur & uires populo.) Huius testimonia sunt in scripturis ueteris Instrumenti plurima & luculenta. Sed quā impar est quæso splendor ille ueteris Testamenti, collatus ei qui per regnum Christi super populo credentium illuxit? Illud, Ipse dat robur & uires populo, magnam habet consolationem, si legas generaliter & præfenter, ut intelligas illum hoc perpetuò facere.

PSALMVS LXIX

AD PRÆCINENDVM SUPER LILIIS DAVID.

Argumentum huius psalmi.

Habet hic psalmus haud obscuram imaginem passionis Christi, deinde & uaticinia, tam de uisione hostium Christi, quā de salute Ecclesiæ. Potest autem diuidi in quatuor partes, ut prima contineat anxias Dauidis & Christi adflicti querelas, cum intermixta prece pro liberatione: altera dira imprecetur hostibus: tertia gratuletur, & laudem Dei instituat: quarta ad laudandum Deum cælum ac terram excitet, & uaticinetur de salute ac prosperitate ecclesiæ Dei.

PARS PRIMA.

1. **S**aluum me fac Deus, quoniam peruenerunt aquæ usque ad animam.
2. Demersus sum in lutum profundum, nec est ut queam subsistere.
3. ueni in profundas aquas, & tempestas inundando operuit me.
4. Laboraui clamando, arefactum est guttur meum: defecerunt oculi mei, dum expecto Deum meum.
5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me sine causa, confortati sunt qui disperdunt me inimici mei iniuste: quæ non rapui, tunc rependi.

Lectio satis concordat.

EXPLA. Saluum me fac Deus.) Exordium psalmi huius ardentissimam habet opis diuinæ implorationem, NATIO. qualis solet esse eorum qui summis angustijs ex præsentis interitus horrore, desperato omni humano subsidio, eiulando & uociferando cælesti auxilium inuocant. Et tales implorationes auxilij diuini, licet humano iudicio frustraneæ uideantur & inanes, reuera tamen cælos penetrant, & patentes diuinæ bonitatis aures inueniunt. quæ de re uide psalm. decimum octauum. Habet enim Deus hoc laudis, quod sit saluator adflictorum. Mox subiicit periculi magnitudinem, parabolice comparans hostes suos, inò hostium uim & improbos conatus alto luto, undis profundis, ac procellis irruentibus. quæ similitudine usus est & supra psalm. decimo octauo & quadragésimo. Voluit hoc pacto describere Propheta non solum magnitudinem periculi, & hostium suorum